DE LIBERTATE ET PRAEMOTIONE

SECUNDUM

MENTEM D. THOMAE

DE

LIBERTATE ET PRAEMOTIONE

SECUNDUM

MENTEM D. THOMAE

AUCTORE

SACERDOTE CONGREGATIONIS A PASSIONE D.N.J.C.

Cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. — Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate. *Prov. Ad Philip.*

Quidam non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque praejudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates male exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle et perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle hoc velle illud.
D. Thom. III Cont. Gent. c. 89.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA DELLA PACE
Piazza della Pace 35
1882

SANCTO · THOMAE · AQUINATI

DOCTORI · ANGELICO

COELESTI · PATRONO · STUDIORUM · OPTIMORUM

COOPTATO

QUAE · AUREAM · EJUS · DOCTRINAM · TUETUR

OPELLAM · HANC

AUCTOR · DEVOTISSIMUS

DICAT

APPROBATIONES

Majori qua potui solertia legi librum manuscriptum, cujus titulus est: **De libertate et praemotione secundum mentem D. Thomae etc.**; et praeterquam quod nihil in eo reperi quod fidei aut bonis moribus repugnet, non possum non probare vere eum esse secundum mentem D. Thomae prout inscribitur.

Potest igitur typis edi: immo valde opportunum id videretur, ad multorum dissipanda praejudicia in veram scholam sancti Thomae.

Datum Romae in Conventu S. Mariae supra Minervam die 14 Martii 1881.

P. FR. PAULUS CARBÒ

MAGISTER ET THEOLOGUS CASANATENSIS ORD. PRAED.

Cum opus cujus titulus: **De libertate et praemotione secundum mentem D. Thomae**, auctore sacerdote Congregationis Nostrae a duobus theologis quibus id commisimus diligenti examine recognitum fuerit, ab iisdemque probatum, non modo ut doctrinae sanae et catholicae, sed etiam thomisticae, facultatem concedimus illud typis vulgandi, si iis ad quos spectat ita videbitur.

Datum Romae in Recessu SS. Martyrum Joannis et Pauli, die festo S. Thomae Aquinatis 7 Martii 1882.

BERNARDUS MARIA A JESU

CONGREGATIONIS SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C. PRAEPOSITUS GENERALIS.

Loc. ✠ sig.

IMPRIMATUR

P. Fr. Arch. Salini O. P. S. P. A. Mag. Soc.

LECTORI BENEVOLO

Nulla fortasse aetate tot excogitatae sunt absonae sententiae quot hac luctuosissima; qua et ob novitatis studium et ob gloriae cupiditatem a compluribus sapientiae cultoribus improba quaedam philosophandi ratio adstructa est, quae citra quempiam ad fidem respectum omnia vera perturbat tum naturalis ordinis tum supernaturalis. Novatores enim saeculi XVI Catholicae Ecclesiae, quae juxta sacra eloquia columna est et firmamentum veritatis, refragantes se praebuere; Voltairius autem ejusque procaces sectatores iis omnibus veritatibus repugnarunt quas admirabili divinae Sapientiae consilio coelitus edocti sumus; at vero qui hisce temporibus in peritia philosophicarum disciplinarum se magnificentissime jactant, et Catholicae Ecclesiae et oraculis coelitus editis et ipsius mentis virtuti adversantur, fide et ratione posthabitis. Complures enim non modo arcanis mortalium generi divinitus apertis obsistunt, verum etiam iisdem rebus quarum in animo insitam informationem quamdam habemus,

et quae vel ethnicis philosophiae cultoribus perspicuae fuerunt, ab iisdemque comprobatae, et communi populorum consensu pro certis habitae. Cujus quidem indigni facinoris causam afferens, ac aequam de eodem querimoniam effundens, Leo XIII, Pontifex Maximus, in Epistola Encyclica *Aeterni Patris* ajebat: " Adnitentibus Novatoribus saeculi XVI, placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quaelibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit genera philosophiae plus aequo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantes oriri etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat. „

Porro autem ex effraena istac philosophandi ratione quam maxima effluere mala, erroribus facile evincitur, in quos prolapsi sunt, qui eadem utuntur. Oppugnantes enim summa illa vera, quae (ut inquit Cicero) prodere scelus est non minus quam patriam, mortalem immortalem animum ii dixerunt, (1) eumdemque nihil aliud esse nisi quarumdam virium in superioribus hominis collectionem; (2) qua de causa

(1) Vide, si lubet, *Renaissance du Catholic. en Engleterre par M.r l'Abbé de Madaune* p. 440; et *L'Athéisme et le péril social par Mgr. Dupanloup* passim.

(2) *Dictionnaire des sciences médicales; art. âme, esprit, idée, vie.*

rationem vel brutis animantibus tribuendam, simiisque rationales homines aequiparandos (1). Ad haec Deum O. M., cujus nutu reguntur omnia, cujus providentia temperantur et gubernantur, summum esse hujus universi Rectorem et Gubernatorem procacissime impugnarunt, hominem quacumque re potiorem et superiorem, eumdemque ad orbis terrarum gubernacula sedere inepte asserentes, *humanitatemque* suam sibi esse providentiam deblaterantes (2). Compertum est praeterea eosdem a rebus rerum omnium sapientissimum Opificem atque praepotentem Effectorem minime distinguere, foedumque tradere pantheismum: quorum alii profitentur, *a Deo personali eorum principia aperte discrepare;* alii vero, inter Deum et *humanitatem* discrimen nullum esse; alii demum clarius, nihil aliud esse naturam quam Deum et divinam rationem toti mundo, partibusque ejus insertam, parentem et rerum omnium opificem (3). Ex quo pronum fuit incommutabilem Divinitatem cum materia confundere, et abjectum materialismum non ambiguis propugnare verbis; cujusmodi sunt: *Nihil praeter materiam, vim et motum extare;* immo *idcirco materialismi nomen admittendum, quod Dei notionem excludit,* et alia generis ejusdem (4). Quibus quidem inepte prolatis et impie, haud difficile certe

(1) *Dictionnaire des sciences médicales; art. raison, homme.*

(2) *Ibid. Art. mort,* et Renan, *Explications à mes collegues* p. 24.

(3) *Dublin Review, Novemb. 1868; Revue des deux mondes 15 Juin 1860.*

(4) Naquet, *De la Méthode* p. 52.

fuit in atheismum delabi, assererequé impudenter, *Deum, providentiam, animum, immortalitatem nihil aliud esse quam verba*, et *vel Dei notionem anarchicam esse, atque publicae utilitati repugnantem* (1). Praeclara equidem philosophandi ratio! Si enim (ut inquit Tullius) nemo est tam vecors qui aut quum suspexit in coelum, deos esse non sentiat; huc tamdem devenisse gloriari poterunt philosophi, labore atque studio, ut non modo christianam fidem verum etiam Dei notionem amitterent, ejusdem cultum abjicerent, novamque religionem excuderent atque moralem.

Sed istiusmodi philosophandi genus procul a catholicis abest? Utinam qui inter catholicos sapientiae cultores de philosophicis rebus disceptant, sibi ante mentis oculos non gloriae inane simulacrum, sed incrementum veracis doctrinae, quae fidei comes est, constituentes, se perperam non patiantur abduci abstrahique in absurdas opinationes. Visum est enim interdum catholicorum quoque philosophorum mentes tetra contagione studium novitatis afflasse; quapropter in Encyclica laudata ajebat Pontifex Maximus: " Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse: qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri, quam vetera novis augeri et perficere maluerunt, certe minus sapienti

(1) Renan, *Etudes d'histoire rèligieuse*, p. 419; et Naquet, *Etudes de philosophie positive* p. 183.

consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inveniri, ejus rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam. „

Quibus quidem ex causis atque rationibus nemo est qui non videat ad catholicos philosophos valde pertinere, atque rem omnino postulare, ut iidem dejecto novitatis studio, non modo veterem eam restituant philosophiam, quae fidem comitatur, scientiaeque patrimonium auget, non absumit, verum etiam quidquid eis est studii, industriae, curae, operae, diligentiaeque conferant ad ejus summi Doctoris, Thomae Aquinatis, sapientiam propagandam, qui philosophorum omnium princeps, firma doctrina, stabili atque robusta, viam reclusit tutam ad subtiliora quaelibet vera perspicienda, erroresque coarguendos. Etenim (ut celeberrima Academia parisiensis inquiebat) Thomas fuit universae Ecclesiae lumem praefulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Academiae ejusdem speculum clarissimum, et candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitae et scholas doctrinae sanae ingrediuntur, lumen vident, claritatis vitae, famae clarae et scientiae lucidae, veluti stella splendida et ma-

tutina refulgens. Verum non est quamobrem in Thomam, cujus memoriam excipient omnes anni consequentes, laudes conferantur; quum Pontifex Maximus, in Encyclica eadem, omnia praeconia in eumdem derivasse cuique catholico visus est, praeclaris quae sequuntur testimoniis: " Clemens VI, Nicolaus V, Benedictus XIII, aliique testantur, admirabili ejus doctrina universam Ecclesiam illustrari; S. Pius V vero fatetur eadem doctrina haeres confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII, uberrima bona ab ejus scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronimo defertur; alii tandem S. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lyceis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur.... His vero Pontificum Maximorum de Thoma Aquinate judiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat: *Hujus* (Thomae) *doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus.* „ His de causis Pontifex Maximus omnes catholici orbis Episcopos quam enixe adhortatur, ut auream Thomae sapientiam restituant, et quam latissime propagent.

Haec autem omnia mihi interdum consideranti atque animo perpendenti, incommodum visum est quam maximum, eos catholicos sapientes, quibus in philosophicis disciplinis tradendis, stabilem atque robustam Aquinatis doctrinam sequi propositum est, inter se dissidere, praesertim de iis rebus quae in philosophicis cognitionibus sunt praecipuae. Quamquam enim veritatis amore omnes ducuntur, ista tamen opinionum dissensione magnum sanae philosophiae inferri detrimentum, perspicuum est. Etenim quemadmodum hostibus progredientibus frustra resistitur, confusa sparsaque multitudine, sed iisdem necesse est aciem opponere ordinatam; ita profecto absona eorum commenta, qui se gloriosius de philosophicis rebus jactant, dissipari dissolvique non poterunt, nisi catholici sapientiae cultores, una mente, animoque concordi, ad ea oppugnanda procedant. Qua quidem ex causa haud exigua christianae philosophiae in eo verti commoda et momenta, ut praeclara catholicorum multitudo quae auream Thomae doctrinam sequi jam profitetur, in eadem propugnanda, unius sit mentis et cordis, nemo est qui non videat.

Atque id ratio est, benevole Lector, cur quamvis a disputationibus abhorrens, paci tamen atque concordiae inter catholicos philosophos studens, ad opusculum hoc publici juris faciendum, animum induxi: in quo quidem quaenam Thomae sit mens super celeberrima phisicae praemotionis quaestione, ejusdem ver-

bis, quantum fieri potest, declaretur. Etenim arbitratus sum, multa Aquinatis testimonia, in unum coacta, aliquid in eorum utilitatem conferre posse, qui ab amore partis systematisve alieni, atque ab inanibus futilibusque disceptationibus, veritatem inquirunt corde sincero. Neque enim contingere unquam posse opinatus sum, ut qui in Thomae verbis non ejusdem mentem agnoscere, sed propriam adnituntur reperire sententiam, ad veritatis cognitionem hac de re queant pervenire.

Quoniam vero phisicae praemotionis quaestionem arctum habere nexum perspicuum est cum iis rebus, quae tum a philosophis tum a theologis dicuntur de libertate, de hac eadem imprimis mihi aliquid delibandum esse existimavi: eaque de causa De libertate et praemotione opellam hanc censui inscribendam. Quam ob rem ita res opusculi hujus in ordinem rediguntur, ut prius sermo de libertate instituatur, paucis ejusdem explanando naturam et objectum et alia quae arcte connectuntur eidem; posterius vero istius phisicae praemotionis ipsius quaestio proponatur, atque inutilibus disquisitionibus et ad rem non pertinentibus omnino dejectis, expendatur solvaturque, Thomae verbis, quantum possibile erit, ratioque permittet. Quia vero inter dissidentes pacem componere studeo, illud praecipue propositum mihi fuit ut ne ullius quidem viventis auctoris nomen proferrem, omnes, eosdem quoque adversarios, prosequerer honore, pacatissime

loquerer, paucis scriberem ita, ut nemini aequa esset mecum expostulatio. Attamen veritas, quum rebus omnibus anteire necesse sit, a me dicetur liberrime; quae quidem cum ab Aquinate stabilietur aperte, tum ejusdem verbis, cum vero ex ejus doctrina ratiocinatione quadam deducenda erit, tum auctoritate discipulorum ejus firmabitur. Etenim Pontifex Maximus, in Encyclica quae supra producta est, catholicos adhortatur, " Ut sapientia Thomae ex ipsis ejus fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est „: qua quidem de re pro iis praecipue te, Lector, admonitum volui, quae de phisica praemotione pariter quantum ad actus exercitium ac quantum ad specificationem ejusdem, mihi dicenda erunt.

Interea quoad Thomae sententia de phisica praemotione aperiatur, animo est ponderandum, tum communi vitae consuetudine tum copia doctrinae splendorem eumdem addidisse familiae Dominici; quae quidem non modo eum virum eximium et singularem, at etiam Exemplar et Magistrum, quem tuto pede sequeretur, semper habuisse, vera cum gloria de se praedicare potest. Etenim praeterquamquod in ea Pontificis Maximi Littera Encyclica, quae supra est adducta, de eadem familia dicitur: *Summo hoc magistro* (Thoma) *jure quodam suo gloriatur*; praeterea in ejusdem Con-

stitutionibus ipsis (1) ejus rei praeclarum extat testimonium, quod hic praetermittere non licet. "Declaramus quod, a primo ordinis nostri saeculo, multoties, in Capitulis Generalibus, sancitae sunt ordinationes de tenenda fideliter Angelici Praeceptoris doctrina, additis contra transgressores poenis gravioris culpae, et privationis perpetuae utriusque vocis, omniumque Officiorum, graduum et dignitatum. (*Vide Fontana, Doctr. S. Thom.*) Sic re vera ordinatum est Parisiis, anno 1279, quinto a transitu S. Thomae: *Cum venerabilis vir memoriae recolendae F. Thomas de Aquino sua conversatione laudabili et scriptis suis multum onoraverit ordinem, nec sit aliqualiter tolerandum quod de ipso vel scriptis suis aliquid irreverenter vel indecenter Fratres loquantur, et aliter sentiant: ideo injungimus Prioribus, Provincialibus, et Conventualibus, ac eorum Vicariis et Visitatoribus, ut, si quos invenerint excedere in praedictis, eos punire acriter non postponant.* Item Parisiis 1611: *Ordinamus et alias pluries ordinatum confirmamus, et praecipimus omnibus et singulis Sacrae Theologiae Magistris, Baccalaureis, Lectoribus et Praedicatoribus, ut in suis lectionibus, disputationibus, decisionibus, praedicationibus aut compositionibus, numquam recedant a solida Angelici Doctoris nostri S. Thomae doctrina, eamque non solum in sententia, sed et in proprietate quoque verborum, ubique referre ac tueri conentur. Qui contra fecerint, priventur gradibus, et*

(1) Distinctio 2, cap. 14, De studentibus, Declaratio 6, De tenenda S. Thomae doctrina.

poenae gravioris culpae subjiciantur..... Habentur similia in multis aliis Capitulis. Nec sub silentio praeterire fas est quod Benedictus XIII, Benedictus XIV, Pius VI et Pius IX Angelicum Doctorem laudibus certatim extulerunt, Ordini nostro gratulantes de felici quam sibi imposuerat necessitate sectandi doctrinam Aquinatis, nostros quoque exhortantes ad illam perpetuo et strenue propugnandam..... Possunt etiam videri apud Ordinis Bullarium triginta et octo Constitutiones, quibus decem et octo Summi Pontifices doctrinam S. Thomae impense commendarunt. „

Quibus quidem testimoniis atque rationibus cuique pronum est conficere, vel fidelem Aquinatis discipulum nullum unquam repertum esse, aut vix ullum; vel recte quidem dicendum, doctos viros Dominici familiae, qui tum philosophicis cognitionibus, tum theologicis enituere, quique Thoma magistro usque gloriati sunt, ejusdem discipulos esse germanos. Sed quid multis opus est? Ea enim res eadem a Benedicto XIII, Pontifice Maximo, declarata est, qui in suis litteris *Demissas preces,* eosdem *germanos S. Thomae discipulos* renunciavit, honestavitque laudibus. Ne autem inducas in animum, in aliis tantummodo quaestionibus, non vero in ea de qua hic sermo est, praeclaro illo testimonio eosdem elatos voluisse, sic habeas volo, Lector, ad *calumnias intentatas* eorum doctrinae super gratia per se et ab intrinseco efficaci contemnendas, eosdem Pontificem Maximum hortatum esse. Compertum est enim, eos qui

Thomam summum magistrum habent, quibusque Thomistarum nomen est, gratiae efficaciam istam phisica praemotione exponere; etsi utriusque impliciti nodi explicationem permiscere prohibeant.

His de causis quum ab iis qui Aquinatem sodalem et magistrum colunt, valide constituatur atque stabiliatur egregie, phisicae praemotionis doctrinam in ejusdem scriptis apertissime tradi; certe fides habenda iis minime videtur, qui eam numquam eumdem agnovisse asserere audent, tametsi ejusdem libris pervolutandis multum temporis impertisse confirment. Eorum saltem hac de re sententiam in dubium vocare fas erit; coecitatis enim tot viros doctissimos ac in Thomae scriptis perite versatos ii videntur insimulare. Praeterea si *germani Aquinatis discipuli* opinione falluntur, num alii aberrare non poterunt?

At de his rebus satis, non enim rationibus generis hujus, etiamsi maximi sint ponderis, sed verbis potius atque testimoniis Angelici doctoris ipsius difficultas dirimenda est. Haec tamen, benevole Lector, me tibi praeloqui, non modo oportuit, verum etiam necesse fuit, ut quod in quaestione versatur, id in ipso quasi vestibulo dignosceres, opusculique hujus rationem et ordinem. Caeterum si in tuam utilitatem opella haec aliquid conferat, Deo O. M. gratias agam; sin autem, in spem ingredi placet fore ut eamdem nihilo minus benigne velis accipere. Vale.

CAPUT I.

De libertatis natura generatim considerata.

1. Liberum arbitrium atque voluntatem re vera eamdem esse potentiam, objectoque solummodo discrepare, imprimis ostenditur. — 2. Corollaria praecedentis doctrinae, et libertatis definitio. — 3. Libertas multifarie dividitur: exponitur quid sit libertas indifferentiae et spontaneitatis, libertas exercitii et specificationis. — 4. Prima libertatis radix, ut causa, ratio est. — 5. Radix altera, ut subjectum, est voluntas ipsa.

1. Natura id a philosophis esse dicitur, quod rem unamquamque facit, a ceterisque distinguit: qua ex causa quoniam de libertate aliquid delibandum est, quomodo praemonui, claritas atque rectus ordo postulare videntur, ut ab ejusdem natura inquirenda initium petatur; hac enim perspecta alia quae connectuntur eidem, facilius pertractari, animoque comprehendi poterunt. Constat autem imprimis eamdem potentiam esse quae vult, et quae eligit; sicut eadem potentia est quae intelligit, et quae ratiocinatur; quam ob rem ait Aquinas: " Potentias appetitivas oportet esse proportionatas potentiis apprehensivis. Sicut autem ex parte apprehensionis intellectivae se habent intellectus et ratio; ita ex parte appetitus intellectivi se habent voluntas et liberum arbitrium, quod nihil aliud est

quam vis electiva (1). „ Et certe proprius voluntatis actus est velle; atque velle unum prae alio, quod electio nuncupari solet, peculiaris actus est liberi arbitrii; igitur ejusdem potentiae est velle, cujus est eligere; " Et propter hoc (inquit Thomas) voluntas et liberum arbitrium non sunt duae potentiae, sed una (2). „ His ex rebus facile est colligere, cur a divinis eloquiis voluntatis nomen libero arbitrio saepissime tribuatur. " Quis est homo qui vult vitam (3); Exultent et laetentur qui volunt justitiam meam (4); Si quis vult me sequi (5); Si quis voluerit voluntatem ejus facere (6). „ Verum rem hanc attentius consideranti ex facili in promptu erit, inter voluntatem et liberum arbitrium aliquod esse discrimen; illius enim obiectum (ut capite tertio dicetur) hujus objecto latius porrigitur. Etenim fertur liberum arbitrium in media, idest in bona peculiaria quae finem respiciunt, quibusque eumdem assequimur, quippe Angelicus ait: " Eligere est appetere aliquid propter alterum consequendum: unde proprie est eorum quae sunt ad finem „ (7); praeterea eas in res solummodo, quarum est penes voluntatem nostram potestas atque dominatus. Voluntas autem in media et in finem ducitur; in ea quae arbitratu nostro moderamur, et in ea quae a nobis non pendent; non enim omne id quod voluntarium est, liberum dici potest. Igitur apte congruenterque loqui si volumus, citra dubium dicendum erit, potentiam electivam, seu liberum arbitrium, re vera esse ipsam voluntatem eamdem, sed inadaequate sumptam. Id tamen notandum, rationem, liber-

(1) 1. p. q. 83. a. 4. — (2) Ibid. — (3) Psal. 33. 13. — (4) Psal. 34. 27. — (5) Evang. Marc. 8. 34. — (6) Item Joan. 7. 17 — (7) Loc. cit. 1. p.

tatis radix, seu causa, cum sit (ut est apud Thomam, ac ut infra enucleabitur) antecedere potentiam electivam, hic pro certo poni; qua de causa merito atque jure optimo liberum arbitrium ab Aquinate nuncupatur: *Facultas voluntatis et rationis.*

2. Ex dictis autem jam sequitur, 1° liberum arbitrium potentiam esse activam; quippe dictum est, nihil aliud idem esse nisi voluntatem ipsam: at vero potentia activa est voluntas, quod enim ejusdem actio immanens est, idcirco ab eo principio in quo tamquam in subjecto recipitur, ut proficiscatur oportet. Praeterea si liberum arbitrium potentia non esset activa, liberum falso diceretur; in agente enim est ejus rei quam in alio efficit sita potestas, sed ejus in manu non est, quod fit in eodem. Sequitur 2° hanc potentiam ipsam electivam esse mediorum, idest non finem sed media eligere, quibus eumdem consequimur, nam finis sub electionem non cadit. Etenim quemadmodum argumentatio a principiis evincendis abstrahit, quae pro certis ponit, totaque circa conclusiones versatur ex iisdem deducendas; ita electio non circa finem, qui ejusdem causa est, sed circa media quae ad eum obtinendum sunt constituenda, versatur. Verum quod ad mediorum electionem attinet, cum Aquinate diligenter est perpendendum, finem aliquem ad superiorem alium finem obtinendum adhiberi interdum posse contingere, ac ideo sub voluntatis electionem cadere: “ Sicut in speculativis nihil prohibet id quod est unius demonstrationis, vel scientiae principium, esse conclusionem alterius demonstrationis, vel scientiae, primum tamen principium indemonstrabile non potest esse conclusio alterius demonstrationis, vel scientiae; ita etiam con-

tingit id quod est in una operatione ut finis, ordinari ad aliquem ut ad finem, et hoc modo sub electione cadit (1). „ Ejus rei dilucida expositio fit a Thoma exemplo sanitatis, quam quidem in medici operatione finem esse, atque proinde sub ejusdem electionem non cadere, omnibus est perspicuum: at vero in eo qui mentem suam eo dirigit ut saluti prospiciat aeternae, sanitatem ipsam superiorem finem manifestum est posse respicere: quapropter de prospera valetudine adversaque consultationem idem habere poterit, alterutramque eligere. Demum sequitur 3° liberum arbitrium media eligere, quae congruunt fini; etenim (ut inquit noster Doctor) quemadmodum defectu intellectus accidit, ut idem in conclusionem aliquam a principiorum tramite recedendo eat; ita profecto voluntatis defectu contingit, ut ea in aliquam pergat electionem a fine deflectendo. Quibus ex rebus minime dubium est, liberum arbitrium apte definiri posse: *Facultatem eligendi media quae fini conveniunt.* Attamen definitionem placet tueri, quam Aquinatis doctrinam sectantes communiter tradunt Thomistae, quaeque in idem cum praecedenti redit, atque liberun arbitrium dicit: *Vim electivam mediorum servato ordine finis.* Mihi equidem exploratum est, hisce praesertim temporibus huc novitatis studium devenisse, ut definitioni quoque liberi arbitrii caliginem offundere moliretur; sed ea res indignum facinus et audax cuilibet sapienti facile videtur; immutabilis enim est veritas, ejusque argumentum antiquitas: et non raro accidit (inter catholicos dico) ut qui nova adnituntur invenire, in errores inextricabiles delabantur.

(1) 1. 2. q. 13. a. 2.

3. Multifarie vero dividitur libertas tum a philosophis tum a theologis; sed ne ab argumento degrediar, aliis partitionibus missis, eam in *libertatem spontaneitatis* et in *libertatem indifferentiae*, velut in duas partes praecipuas, placet dispertire. Prima nihil aliud est nisi immunitas a vi ab exteriori agente illata; quapropter determinationi ad unum a natura minime opponitur; ac proinde in brutis quoque animantibus planum est eamdem reperiri. Haec porro libertas in omnibus est actibus a voluntate elicitis; etenim nemo iisdem vim potest inferre, secus enim sequeretur, voluntatem posse velle nolentem, quod plane absurdum est. Alterum libertatis genus latius primo porrigitur, non modo enim vim arcet extrinsecus illatam, verum etiam interiorem rei agendae necessitatem, qua quispiam devinciatur a natura. Interiori autem hac necessitate res devinciuntur quae carent sensibus, quippe easdem natura ad unum compellit, puta ad centrum; atque etiam bruta animantia, quae quidem quum ea virtute careant, qua plures res inter se conferre possint, singularemque solummodo speciem sensibus recipiant, necessitate hanc eamdem prosequendi adstringuntur; ea de causa libertas indifferentiae in creaturis ratione utentibus solummodo reperiri potest. Subdividitur vero in *libertatem exercitii*, seu *contradictionis*, et in *libertatem specificationis*, seu *contrarietatis*. Exercitii libertas est quae potestatem tribuit ad duo contradictorie opposita, qua de causa contradictionis libertas solet nuncupari. Itaque facultas est quae actum respicit et non actum, idest actum actusque negationem cessationemve, ut velle et non velle, agere et non agere, amare et non amare, odisse et non odisse. Specificationis libertas ea dicitur, quae ad

duo contrarie opposita tribuit potestatem, ut sunt prosecutio et fuga, amor et odium. Itaque ut hac in re nulla sit aequivocatio, quippe

" Erroris mater fuit aequivocatio semper; „

id attentius considerandum, non duos positivos actus sed actum ejusdemque negationem, seu cessationem, exercitii libertatem respicere; libertatem vero specificationis, seu contrarietatis, positivos quidem actus, sed contrarie oppositos. Actus autem solummodo diversi si sint, non tamen contrarii, ad eosdem potestas *libertas disparitatis* a philosophis nuncupatur.

4. Quae libertas ad opposita potestatem tribuit, indifferentiaequae dicta est, atque in libertatem exercitii et specificationis dispertita, ea reapse id est, quod hominem facit liberum; quapropter antequam aliis de rebus sermo instituatur, ejusdem causa, sua radix, juxta Thomae doctrinam est dilucide explicanda. Quum autem quispiam animo contemplatur duas profecto reperit causas cur homo dicatur liber; primam, quod plures res animo comprehendere possit; secundam, quod ejusdem voluntas necessitate prosequendi earum unamquamque non devinciatur a natura. Itaque prima libertatis radix, ut ejusdem causa, ratio est; cui quidem veritati vel Poeta noster testimonium perhibuit:

" Lo maggior don, che Dio per sua larghezza
Fesse creando, ed alla sua bontade
Più conformato, e quel ch'ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate,
Di che *le creature intelligenti*,
E tutte e sole furo e son dotate (1). „

(1) Dante: Divin. Comm. Parad. cant. 5.

Hanc rem eamdem aperte palamque enunciat Aquinas: " Totius libertatis radix est in ratione constituta. Unde secundum quod aliquid se habet ad rationem, sic se habet ad liberum arbitrium. Ratio autem plene et perfecte invenitur solum in homine; unde in eo solum liberum arbitrium plenarie invenitur (1). „ Ut perspiciatur autem quo modo ratio libertatis sit causa, animo est perpendendum, creaturas rationales, quum ob earum immaterialitatem plurium rerum formas, seu species, excipere atque in se ipsis retinere possint, plura, earum quoque judicium reflexione posse dignoscere: quam ob rem plures in iisdem species boni esse possunt, atque proinde plura objecta quae voluntati objiciantur, ut illa ea rejiciat vel prosequatur: igitur ex pluribus (ut est apud Thomam) moveri potest appetitus intellectivus et non ex uno ex necessitate. His de rebus Aquinas ait: " Ex hoc voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni. Et ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis (2). „ Hanc rationem eamdem adhibet Thomas, ad evincendum substantiis intellectualibus liberum esse arbitrium. Quoniam vero ejusdem verba huic rei lumen afferre videntur, ea placet integre producere: " Quaecumque igitur, habent judicium de agendis non determinatum ad unum a natura, necesse est liberi arbitrii esse. Hujusmodi autem sunt omnia intellectualia: intellectus enim apprehendit non solum hoc vel illud bonum, sed ipsum bonum commune: unde quum intellectus per formam

(1) Q. 24. de verit. a. 2. — (2) 1. 2. q. 17. a. 1. ad 2.

apprehensam moveat voluntatem; in omnibus autem movens et motum oporteat esse proportionata; voluntas substantiae intellectualis non erit determinata a natura nisi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur sibi sub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nulla determinatione naturali in contrarium prohibente. Omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habent ex judicio intellectus venientem; quod est liberum arbitrium habere, quod definitur *liberum de ratione judicium* (1). „

5. Ista Angelici Doctoris verba non modo libertatis radicem, ut causam, in ratione positam esse dicunt, quod nempe quum plurium rerum species, seu formas ea excipere queat, judicium liberum, idest ad unum non determinatum habet; verum etiam libertatis ipsius radicem alteram enunciant aperte, ipsam scilicet voluntatem eamdem, quae a natura communi bono non tamen alicui peculiari, est necessitate devincta. Et re quidem vera de utraque palam loquitur Thomas: “ Radix libertatis est voluntas sicut subjectum; sed sicut causa est ratio (2). „ Haec autem res ita profecto est intelligenda, ut, quoniam objectum, rationalem appetitum explens, bonum est universale atque perfectum; nullum peculiare bonum, seu ne ullum quidem bonum sub judicii indifferentia propositum, quacumque perfectione praeditum sit, eidem satietatem potest afferre: qua ex re quod ad peculiaria bona attinet, libera manet voluntas, nullaque naturali necessitate vincitur. His de causis ait Aquinas: “ Cum possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis et perfecti, non

(1) 2. Cont. gent. c. 48. — (2) 1. 2. q. 17. a. 1. ad 2.

subjicitur ejus possibilitas tota alicui particulari bono: et ideo non ex necessitate movetur ab illo (1). „ Et certe perperam hominem liberum dici, quod plurium rerum species ratio excipiens, plura voluntati objicere potest, si haec ab eorum unoquoque ex necessitate moveatur, nemo est qui non videat. Igitur optimo jure finis huic capiti imponitur, asseverando, duplicem absque ulla dubitatione libertatis esse radicem, scilicet intellectus universalitatem atque voluntatis aptitudinem ad omne et universale bonum. Prima enim efficit (quomodo dictum est) ut intellectus plura, suam quoque operationem, reflexione possit agnoscere; quapropter quum ejusdem judicium uni rei ex necessitate non adhaereat, ex pluribus rationalis appetitus, seu voluntas, potest moveri. Quam ob causam rationem referens discriminis quod est inter bruta animantia et homines hac de re, Thomas ait: “ Vis sensitiva non est vis collativa diversorum, sicut ratio, sed simpliciter aliquid unum apprehendit; et ideo secundum illud unum determinate movet appetitum sensitivum. Sed ratio est collativa plurium; et ideo ex pluribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, non ex uno ex necessitate (2). „ Radix autem altera, voluntatis nempe ad universale bonum et perfectum aptitudo, efficit ut quodlibet peculiare bonum appetitum nequeat explere; ex quo fit (quomodo jam dictum est) ut a nullo eorum ipse ex necessitate trahatur, possitque eorum unumquodque prosequi aut rejicere, prout sibi libuerit.

(1) 1. p. q. 82. a 2. ad 2. — (2) Loco citat. ad 3.

CAPUT II.

Nonnullae difficultates de libertatis natura exsolvuntur.

6. Demonstratur imprimis peccandi facultatem libertatis naturam non ingredi; sed eidem solum per accidens, ob statum quem ea in viatoribus habet, convenire. — 7. Eadem veritas alia ratione stabilitur. — 8. Verae tamen libertatis notioni immunitatem a vi extrinsecus illata satis non esse, ostenditur. — 9. Confirmatur veritas eadem, atque contraria sententia ut falsa et haeretica cum Thoma rejicitur. — 10. Difficultas de praecedenti doctrina in medium adducitur, profligaturque. — 11. Hujus capitis conclusio, in qua veritas stabilita magis firmatur.

6. Jam satis patefactum est quid sit libertas, ejus partes descriptae sunt, causaeque explanatae; attamen ut ejusdem natura undequaque explorata habeatur, quod plurimum interest, nonnullas difficultates, quae ejus notioni caliginem offundere possunt, disputationique argumentum tribuere, capite hoc placet enodare. Itaque videndum imprimis, ne cum peccandi facultate libertas aut contradictionis aut contrarietatis permisceatur; ea namque non ad verae rationem libertatis, sed ad ejus solummodo statum, quem in viatoribus habet, spectare, rem attentius consideranti facile videbitur. Et certe secundum definitionem, quae in principio proposita

est, nihil aliud esse constat libertatem, seu liberum arbitrium, nisi facultatem media eligendi ad finem obtinendum; qua ex causa, ut quisque maxime perspicit, in eo positā esse nequit libertatis ratio, quod quispiam a fine deflectendo, quae media ad eumdem non perducunt, ea possit eligere. At vero quum qui peccat, a Deo qui rerum omnium ultimus finis est, recedat, seque ad creatas res convertat, is solummodo peccare dici potest, qui a fine deflectendo eligit. Itaque in promptu est, peccandi facultatem ad libertatis naturam non spectare; libertateque majori qui peccare nequeunt eos gaudere, quam ii qui peccare possunt. Eadem veritas ipsa alia ratione potest evinci: libertas enim (ut a philosophis dicitur) perfectio est simpliciter simplex; atqui asserere non licet, majorem perfectionem in iis qui in peccata delabuntur, illam habere, quam in iis qui beatitudine donati, ita summo bono sunt conjuncti, ut in malum collabi nequeant: igitur libertatis diminutio quaedam dicenda est peccandi facultas. His de causis noster Thomas ait: " Liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea quae sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diversas conclusiones procedere possit secundum principia data; sed quod in aliquam conclusionem procedat praetermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Unde quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis: unde major libertas arbitrii est in Angelis,

qui peccare non possunt, quam in nobis qui peccare possumus (1). „

7. Allatis rationibus vix esset necesse addere aliquid; attamen ut majus lumen huic veritati afferatur, aliud argumentum in medium proferre lubet. Hoc vero obiectum liberi arbitrii nobis facile praebet; voluntas enim, liberumque arbitrium (ut superiori capite dictum est) non sunt duae potentiae, sed una eademque potentia reapse hoc est atque ista; qua ex re, quoniam voluntas nonnisi bonum naturaliter prosequitur, nec mali cupiditate potest duci, absque negotio colligitur, defectu solummodo liberum arbitrium rem malam expetere, posse contingere. Quam quidem rationem Thomas proposuit, exposuitque dilucide: “ Ad rationem liberi arbitrii non pertinet quod indeterminate se habeat ad bonum vel ad malum; quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis; nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quem apprehendit ut bonum, cum non sit voluntas aut electio nisi boni, aut apparentis boni: et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest, quia imperfectum esse non potest (2). „ His ex causis atque rationibus pronum est intelligere, ad libertatis naturam non pertinere peccandi facultatem, sed ad ejusdem solummodo statum quem in iis habet, qui ad immortalem vitam gradiuntur, quique viatores a theologis consueverunt dici.

8. Verum quod delinquendi potestas est a libertatis natura semota, non idcirco illud in animum inducere licet, liberum quempiam dici posse, quod a vi extrin-

(1) 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. — (2) 2. Dist. 25. q. 1. a. 1. ad 2.

secus illata sit immunis; id enim verae libertati satis non esse, sed immunitatem quoque ab interiori necessitate omnino requiri, facile comprobatur. Et sane libertatis ratio postulat, ut is suorum actuum sit dominus, qui liber esse dicitur; et hoc quidem secundum illud Genesis: " Subter te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. „ At immunis solummodo a violentia, seu a vi ab exteriori agente illata si quis est, non tamen ab interiori necessitate qua ad unum a natura compellatur, is suorum actuum dominium habere non dicitur; nam bruta quoque animantia ejusmodi immunitate gaudent, nec tamen in suos actus ea dominium habere dicuntur. Igitur is liber dici nequit, qui a vi extrinsecus illata solummodo immunis est, necessitate tamen interiori devincitur, ad unumque a natura compellitur. Eam ob causam Thomas ait: " Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod est in ejus potestas velle et non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causae exterius agentis (1). „

9. Contrariam tamen sententiam nonnullis placuit propugnare, qui, Jansenio duce, spontaneas actiones, idest a vi illata immunes, liberas esse tradiderunt, in hominisque potestate. Illud autem mirum, quod etsi hominis libertatem ii labefactant atque funditus convellunt, in libertatem brutorum animantium eamdem reducendo, maximam tamen perfectionem ab hominibus exigere se magnificentissime jactant. Qua quidem de re Montii nostri illa praeclara:

(1) 1. Cont. gent. c. 68.

“ Si crudo è il Nume di costor, si morta,
Si ripiena d'orror del ciel la strada,
Che a creder nulla e a disperar ne porta.
Per lor sovrasta al pastoral la spada,
Per lor tant'alto il soglio si sublima,
Ch'al fine è forza che nel fango cada (1). „

Verum praeterquamquod eorum sententiam quae supra dicta sunt, aperte falsam demonstrant, praeterea eamdem jam pridem Pontifex Maximus, Pius V, exploserat qui in ea bulla quam ad cardinalem De Granvelle, Archiepiscopum Mechliniensem anno 1567 dedit, illas propositiones damnavit: “ Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit. „ Quarum quidem propositionum damnatione Bajanismus proscriptus fuit, qui postmodum in Jansenismum est transfusus. Praeterea apertissime Baji, Janseniique sententiam, ut falsam et haereticam, praedamnaverat Aquinas: “ Quidam posuerunt quod voluntas ex necessitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cujus principium est extra, unde et motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti... Haec autem opinio est haeretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitari non possit. Est etiam annumeranda inter ex-

(1) In morte d'Ugo Bass-ville c. 3.

traneas philosophiae opiniones: quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis: si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio et laus et vituperium, circa quae moralis philosophia consistit (1). „

10. Sed fortasse dixerit quispiam cum Jansenio, vera libertatis notio in indifferentia ad agendum et non agendum, non vero in immunitate a vi extrinsecus illata, si ponatur, efficacem Dei gratiam hominis libertatem profecto convellere; quippe quia efficax gratia indifferentiam tollit, quum ad actum efficaciter voluntatem impellat: quam porro rem absurdam esse, communique sensui repugnantem, neminem esse qui non videat. At vero efficacem Dei gratiam hominis libertatem ex eo facile intelligitur non labefactare, quod indifferentia actuali atque positiva ea voluntatem non privet, sed suspensiva solummodo atque potentiali: quae quidem res de phisica quoque praemotione dicenda erit. Itaque duplex hic distinguenda est voluntatis indifferentia, potentialis et actualis: prima in eo posita est, quod potentia, idest voluntas, non operetur, seu praesenti operatione careat; quae proinde quum nihil aliud sit nisi potentialitas quaedam, neque in voluntate cum operatur, neque in Deo unquam potest reperiri. Porro autem indifferentiam istam a voluntate removet divina gratia; neque tamen ea ex re unquam cogi poterit, eamdem libertatem subvertere. Etenim potentialis indifferentia libertatis naturam ingredi nequit, sed potius ejusdem imperfectio dicenda

(1) Q. 6. De mal. a. unic.

est; quam ob causam cum Dei gratia eamdem a voluntate expellit, hanc ipsam operationi applicando, seu jungendo, non modo libertatem non laedit, verum etiam ad perfectionem adducit, quum imperfectionem potentialitatis ab eadem removeat. Altera autem indifferentia, quae actualis et positiva nuncupata est, ea esse dicitur, qua voluntas ita agit et se movet, seu determinat, ut potestatem in oppositum non amittat; quae quidem indifferentia tum in voluntate, quotiescumque libere agit, tum in Deo formaliter reperitur. Sed divina gratia actualem indifferentiam istam a voluntate non sejungit; quum planum sit illam nihil aliud efficere, nisi hanc sua perfectione, quae operatio est, augere, quin facultatem ad oppositum ne tantulum quidem laedat. Neque illud dici potest, quod facit determinate velle, idcirco libertatem auferre; nam (ut Gonetus, vir praeclara eruditione atque doctrina peritus, ait) ipsa eadem volitio non minus, sed multo magis determinate efficit velle quam gratia; quum volitio forma sit constituens volentem formaliter, gratia vero solummodo effective, idest ad volendum impellat. Quemadmodum enim magis determinate album facit albedo, quam agens eamdem adjungens; ita profecto magis determinate volentem efficit volitio, quam agens ad volendum impellens, seu eidem volitioni voluntatem applicans. Atqui neminem unum animo fingere posse, a volitione libertatem convelli, omnibus est perspicuum.

11. Itaque capiti huic finis imponitur, ea quae dicta sunt paucis concludendo. Quoniam vera libertatis ratio in eo sita esse dicitur, quod ad opposita sit facultas, non modo ut vim excludat ab exteriori agente illatam opor-

tet, verum etiam interiorem agendi necessitatem, qua quis devinciatur, quaque ad unum compellatur. Peculiare enim liberi arbitrii munus electio est, quum nihil aliud sit illud nisi vis quaedam electiva; quam ob causam " Cum electio (ut est apud Thomam) sit praeceptio unius respectu alterius, necesse est quod electio sit respectu plurium quae eligi possunt; et ideo in eis quae sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet (1). „ Plura autem quae a libero arbitrio respici Thomas asserit, contradictorie opposita, vel contrarie (ut supra dictum est) possunt considerari; ex quo fit, duplicem esse libertatem, contradictionis et contrarietatis, quarum unaquaeque in superiore capite declarata est. Illud tamen hic non praetermittendum, contradictionis libertatem libertatis essentiam constituere, seu id esse quod liberum essentialiter quempiam facit; voluntatem enim non interiori ex necessitate qua ad unum compellatur, sed proprio ex consilio ad agendum vel non agendum moveri si ponatur, eamdem actus proprios arbitratu suo moderari ac regere, atque proinde liberam esse, omnibus est perspicuum. Qua de re illud Thomae de spirituali substantia loquentis: " Est domina sui actus, utpote in ipsa existens agere, et non agere (2). „ De libertatis natura satis superque dictum est.

(1) 1. 2. q. 13. a. 2. — (2) 2. Cont. Gent. c. 47.

CAPUT III.

De objecto liberi arbitrii.

12. Praenotanda de appetitu generatim. — 13. Objectum voluntatis imprimis demonstratur. — 14. Animadversiones de eodem objecto. — 15. Objectum liberi arbitrii ostenditur. — 16. Corollaria praecedentis doctrinae. — 17. Difficultas de postremo corollario in medium affertur. — 18. Eadem difficultas profligatur, quae vera sunt a falsis secernendo.

12. Deinceps, ut erat propositum, de objecto liberi arbitrii dicatur; potentia enim quaelibet tum perfectius dignoscitur, ab aliisque facilius secernitur, cum non modo ea in se, idest in natura sua, verum etiam id in quod ea fertur, consideratur. Quoniam vero liberum arbitrium (ut jam dictum est) a voluntate reapse non discrepat, ut rebus dicendis modus adhibeatur et ordo, primum de hujus objecto aliquid delibandum esse videtur. At notandum imprimis, triplicem esse rerum inclinationem, seu appetitum, triplici naturae ordini respondentem; nam (ut est apud Thomam) inest omnibus appetitus boni, quum bonum sit quod omnia appetunt. Prima inclinatio est earum rerum quae carent sensibus, quarum quidem naturalis propensio, seu naturae proclivitas, ad unum necessario vergit, puta ad

centrum, atque naturalis appetitus a philosophis nuncupatur. Altera inclinatio est quae brutorum animantium naturam consequitur, quaeque in speciem sensibus apprehensam tendit, et animalis seu sensitivus appetitus solet appellari. Tertia denique inclinatio est rationalis naturae, et ea, quum ratio multarum rerum species excipere queat, ad plura est indifferens, et appetitus rationalis, seu voluntas, communiter dicitur. His de rebus Thomas ait: „Appetitus in his quidem quae cognitione carent, dicitur naturalis appetitus, sicut dicitur quod lapis appetit esse deorsum; in his autem quae cognitionem sensitivam habent, dicitur appetitus animalis, qui dividitur in concupiscibilem et irascibilem; in his vero quae intelligunt, dicitur appetitus intellectualis, seu rationalis, qui est voluntas (1).„ Attentius autem considerandum, magnum esse discrimen appetitum naturalem inter et rationalem, ac etiam sensitivum; primus enim quod in formam, seu speciem, apprehensam non inclinatur, sed in aliquid in natura extans, idcirco in bonum semper tendit reapse sibi conveniens, atque proinde in bonum verum; alter vero quum formam apprehensam prosequatur, etiam in id quod re vera bonum non est, tendere potest. Etenim planum est ratione sensibusve quod bonum non est ut bonum apprehendi, posse contingere, eaque de causa et appetitum rationalem et sensitivum idem prosequendo posse deludi.

13. His rebus praenotatis statuere placet imprimis, appetitus rationalis, seu voluntatis, objectum, generatim consideratum, esse bonum. Appetitus enim quilibet

(1) 2. Cont. Gent. c. 47.

(ut ex dictis est perspicuum) quaedam inclinatio est; at inclinari nemo potest nisi in bonum, tum quod inclinatur unusquisque in quodpiam sibi simile atque conveniens, tum quod bonum solummodo ad sui amorem incitat ac impellit: qua ex causa a philosophis cum Aristotele dicitur communiter, bonum esse quod omnia appetunt. Igitur bonum est objectum voluntatis, sicut objectum est cujuslibet appetitus. Ea de re Aquinatis illud praeclarum: " Dicendum quod voluntas est appetitus quidam rationalis: omnis autem appetitus non est nisi boni. Cujus ratio est, quia appetitus nihil aliud est quam quaedam inclinatio appetentis in aliquid. Nihil autem inclinatur nisi in aliquid simile et conveniens. Cum igitur omnis res in quantum est ens et substantia, sit quoddam bonum, necesse est ut omnis inclinatio sit in bonum. Et inde est quod Philosophus dicit, quod *bonum est quod omnia appetunt* (1). „

14. Verum hac de re illud notandum, quamquam bonum est voluntatis objectum, non tamen id esse re vera bonum quod a voluntate appetitur, esse necessarium; sed aut vere bonum, aut boni speciem praeseferre, quum bonum animo apprehensum sit illud, quomodo in principio dictum est. Attentius quoque erit ponderandum, voluntatis objectum, quatenus ab objecto liberi arbitrii discrepare consideratur, bonum esse perfectum; hoc unum enim voluntatis satietatem potest explere, qua ex causa quum voluntas in illud ex necessitate tendat neque in deliberationem venire, neque sub electionem liberi arbitrii idem cadere poterit. Qua quidem de re est illud nostri Doctoris: " Si proponatur

(1) 1. 2. q. 8. a. 1.

aliquod objectum voluntati, quod sit universaliter bonum, et secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum (1). „ Dicit autem Aquinas, *si aliquid velit*, potest enim non velle, quum quantum ad sui actus exercitium, ne ab universali quidem bono voluntas necessario moveatur, ut infra erit dicendum.

15. His delibatis objectum liberi arbitrii statuatur, quod quidem absque ullo negotio jam perspici potest. Etenim voluntatis adaequatum objectum, bonum quod ab eadem rejici nequit si est; eo quod perfectum est, atque (ut Thomas ait) secundum omnem considerationem bonum; planum est, quodlibet bonum, quod quovis modo a boni ratione potest deficere, objectum esse liberi arbitrii. Hoc enim quoniam a ratione ut non bonum considerari potest, a rationali appetitu, quem formam animo apprehensam sequi necesse est, expeti rejicive potest secundum diversas considerationes. Igitur quatenus ad bonum istud spectat, nulla necessitate appetitus devincitur; atque proinde liberi arbitrii illud esse objectum, est perspicuum. Eam ob causam post verba quae supra produxi, subdit Thomas: “ Si autem proponatur ei (*voluntati*) aliquod objectum quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuscumque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum quod est perfectum, et cui nihil deficit, est tale bonum quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quaelibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt

(1) Loc. cit. q. 10. a. 2.

accipi ut non bona; et secundum hanc considerationem possunt repudiari vel approbari a voluntate, quae potest in idem ferri secundum diversas considerationes. „

16. Ex iis quae dicta sunt sequitur, 1° quod *ad actus exercitium* attinet, a nullo objecto voluntatem moveri ex necessitate. Etenim ut necessario quantum ad actus exercitium moveatur voluntas, nullam mali rationem posse apprehendi non modo in objecto, verum etiam in ejus appetitione est necesse, alioquin haec appetitio ipsa a voluntate repelli poterit. At vero rationem aliquam mali in omni appetitione posse considerari extra dubium est, quum appetitionem quoque ultimi finis molestam saltem esse existimari queat. Igitur quantum ad actus exercitium, planum est voluntatem nulla necessitate vinciri. His rebus accedat quod ait noster Doctor: “ Potest aliquis de quocumque objecto non cogitare; et per consequens neque actu velle illud (1). „ Sequitur 2° quantum *ad specificationem*, a bono generatim, seu in communi, apprehenso voluntatem necessario moveri; bonum enim istud ejus est objectum adaequatum, ut dictum est; potentia autem quaelibet ita tendit in objectum suum, ut in ejus oppositum nullam habeat potestatem. Super haec nulla boni ratio in opposito apprehendi potest; voluntas vero in malum ferri nequit; qua de re illud Thomae: “ Voluntas se habet ab bonum et ad malum, sed ad bonum appetendo ipsum, ad malum vero fugiendo illud, fuga autem mali magis dicitur noluntas; unde sicut voluntas est boni, ita noluntas est mali (2). „ Ob hanc rationem eamdem sequitur 3° ad ultimum quoque finem, seu ad

(1) Ibid. — (2) 1. 2. q. 8. a. 1. ad 1.

beatitudinem generatim consideratam, voluntatem necessario inclinari; ultimus enim finis bonum est perfectum, in cujus proinde opposito aliqua boni ratio nequit reperiri. Demum sequitur 4° quod ad peculiaria bona spectat, voluntatem ab eorum nullo quantum ad specificationem ex necessitate moveri. Et certe nullum peculiare bonum est ita perfectum, ut nihil ei deesse videatur; ac proinde nullum peculiare bonum est, quod aliqua ratione ut non bonum animo apprehendi queat; quapropter nullum peculiare bonum est, quod a voluntate, quae (ut dictum est) in malum non tendit, nequeat rejici.

17. Sed dixeris fortasse, id non modo Thomae menti, verum etiam apertis ejusdem testimoniis repugnare; quod is non sit de peculiaribus bonis ita generatim loquutus, sed quae cum bono perfecto, aut cum fine ultimo, necessarium habent nexum, ea citra dubium exceperit. Qua quidem de re est illud: " Dicendum quod finis ultimus ex necessitate movet voluntatem, quia est bonum perfectum, et similiter illa quae ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest, sicut esse, vivere et hujusmodi (1). „ Huic testimonio aliud accedit: " Non enim per voluntatem appetimus, solum ea quae pertinent ad potentiam voluntatis, sed etiam ea quae pertinent ad singulas potentias, et ad totum hominem. Unde naturaliter homo non solum vult objectum voluntatis, sed etiam alia quae conveniunt aliis potentiis, ut cognitio veri, quae convenit intellectui; et esse et vivere et hujusmodi alia, quae respiciunt con-

(1) Ibid. q. 10. a. 2. ad 3.

sistentiam naturalem, quae omnia comprehenduntur sub objecto voluntatis, sicut quaedam particularia bona (1). „

18. Verum cum quis animo contemplatur, facile verum hac de re a falso secernit. Duplici enim modo peculiaria bona, de quibus in proposita difficultate loquitur Thomas, possunt considerari: primo quidem in se, idest quatenus ab his illisve circumstantiis abstrahunt, quibus in nobis junguntur, jungive possunt; vel (quod in idem redit) quatenus ita apprehenduntur beatitudini conjuncta, ut sine illis haec nequeat haberi. Altero autem quatenus eadem bona reperiuntur in individuis, horumque peculiaribus circumstantiis junguntur. Jam vero primum illud bonorum genus voluntatem ex necessitate irretire absque negotio intelligitur; nullum enim eorum rationem non boni potest habere; de quibus profecto sunt illa Aquinatis in difficultate quae objicitur: “ Et similiter illa quae ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest. „ Genus autem alterum et in deliberationem venire et sub electionem cadere facile quisque perspicit; etenim quamquam vivere est bonum in se, item et veritatem agnoscere, posse tamen contingere utramque rem magno incommodo in individuis conjungi, et proinde ut non bona considerari, atque a voluntate rejici, nemo est qui non videat. Quam profecto ob causam Aquinas supra productus (15) ait: “ Quia defectus cujuscumque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum quod est perfectum, et cui nihil deficit, est tale bonum,

(1) Ibid. a. 1.

quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quaelibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona: et secundum hanc considerationem possunt repudiari vel approbari a voluntate „ (1).

CAPUT IV.

De diverso motionis genere intellectus et voluntatis.

19. Notiones de voluntatis indifferentia — 20. Praecedentis doctrinae corollarium. — 21. Voluntatem quantum ad exercitium ex se moveri comprobatur; explicaturque modus, quo internum suum motum ea libere exercet. — 22. Intellectum quoque a voluntate quantum ad exercitium moveri, Thomae auctoritate stabilitur. — Quod ad specificationem attinet, ab intellectu, seu ab objecto mente apprehenso, voluntas movetur. — 24. Intellectus tamen voluntatem necessario non movet. — 25. Voluntatis motio est in genere causae efficientis, sed motio intellectus dici nequit generis ejusdem. — 26. Intellectum in genere causae finalis et formalis voluntatem movere declaratur.

19. Quoniam liberum arbitrium voluntatis rationisque facultas ab Aquinate nuncupatur, atque reapse voluntas et ratio mutuam operam ad hominis libertatem conferunt, de utraque ista potentia aliquid scribere necesse est. At ne ultra quam satis est dicatur,

(1) Cf. Billuart, Tract. de act. hum. Diss. 3. a. 4.

aliis rebus missis, quibus hic nequaquam opus esse videtur, de diverso motionis genere quo intellectus atque voluntas ad agendum se vicissim impellunt, sermo instituetur. Primum tamen de voluntatis indifferentia quaedam sunt praenotanda, quibus lumen iis rebus afferatur, quae pertractandae sunt. Itaque mente ponderandum, movere animae potentias, nihil aliud esse, nisi ad actum ponendum easdem impellere; oportet enim (ut ait Aquinas) ut id quod est in potentia, reducatur in actum per aliquid quod est in actu. Porro autem dupliciter in potentia voluntas considerari potest: primum ad duo quae contradictorie opponantur, ut agere et non agere, amare et non amare, odisse et non odisse, et ejusmodi alia. Iste voluntatis status indifferentia contradictionis a philosophis nuncupatur ideo, quia ad contradictoria, idest ad actum ejusdemque negationem cessationemve, voluntas est indifferens. Deinde ad duo contraria, seu (ut dicitur) contrarie opposita, voluntas in potentia potest considerari; ejus generis sunt, agere hoc aut illud, prosequi vel fugere et amare aut odisse: ac iste voluntatis status indifferentia contrarietatis dici solet, idcirco quod terminos positivos respiciat contrarie oppositos. Duplicem vero istam voluntatis indifferentiam exemplo oculi illustrat Aquinas; si enim oculus in potentia ad visionem ejusque negationem consideratur, indifferentia contradictionis habetur; si vero ad hunc colorem potius quam ad alium contingendum, indifferentia contrarietatis. Quae omnia in pauca conferens Thomas ait: " Dupliciter autem aliqua vis animae invenitur esse in potentia ad diversa: uno modo quantum ad agere vel non agere, alio modo quantum ad agere hoc vel illud:

sicut visus quandoque videt actu, et quandoque non videt, et quandoque videt album, et quandoque videt nigrum (1). „

20. Ex iis autem quae de ista duplici voluntatis indifferentia enucleata sunt, absque negotio colligitur, duplici impulsu, seu motione, voluntatem indigere ut in actum peculiarem exeat: uno quidem quo ad ipsum ponendum impellatur, ad quem habet facultatem, altero autem quo ad actum hujus speciei potius quam alterius. Etenim (quomodo dictum est) tum ad agendum et non agendum, tum ad agendum hoc et illud, voluntas in potentia est atque indifferens; quapropter tum ad actum tum ad actus speciem eamdem motione, seu impulsu, planum est indigere, ajente Thoma: Oportet ut id quod est in potentia reducatur in actum per aliquid quod est in actu. Itaque primus impulsus quo voluntas ad actum ponendum provehitur, motio quantum *ad exercitium* solet nuncupari; alter autem quo ad actus speciem impellitur, motio quantum *ad specificationem.* De utraque motione est illud praeclarum Aquinatis, qui de voluntate loquens ait: “ Indiget igitur movente quantum ad duo, scilicet quantum ad exercitium, vel usum actus et quantum ad determinationem actus: quorum primum est ex parte subjecti, quod quandoque invenitur agens, quandoque non agens; aliud autem est ex parte objecti, secundum quod *(objectum)* specificatur actus (2). „

21. His rebus praenotatis, negotii nihil est, Thomae doctrina imprimis stabilire, voluntatem ex se quantum ad actus exercitium moveri. Id enim ex ac-

(1) 1. 2. q. 9. a. 1. — (2) Loc. cit.

tuum suorum potestate, quae penes eam est, facile cogitur; nam si eidem non adesset facultas, se ipsam ad volendum movere, profecto actus ejus potestas in ea sita non esset: quod quidem absurdum esse, communique sensui repugnans, nemo est qui non videat. His de causis Thomas ait: " Voluntas domina est sui actus, et in ipsa est velle et non velle; quod non esset si non haberet in potestate movere seipsam ad volendum. Ergo ipsa movet seipsam (1). „ At ne hac de re cuipiam nimius fortasse videar, potiusquam alias rationes in medium producere, modum explicare placet, quo internum suum motum voluntas libere exercet: quod quidem nullius laboris esse videtur, Aquinatis vestigia persequendo. Itaque secundum Thomae doctrinam (2), quod operationis principium est forma, qua aliquis est in actu, cum unusquisque agat, quatenus est in actu; idcirco operationis modus consequitur modum formae, quae ejusdem est principium. Quam ob causam forma quae ab eo non procedit, qui ea operatur, actionem efficit, quae in agentis potestate non est; forma vero quae ab eo fit, qui eadem agit, producit actionem, quae est in agentis manu; quum enim in ejus potestate actionis sit principium, ejusdem quoque actionis ipsius potestatem in eo sitam esse, est necesse. At vero naturalis forma quae in rebus quae carent sensibus, principium est naturalis actionis, ab eo non fit, cujus est forma; ea enim unaquaeque res habet esse in natura, nihilque sui esse causa esse potest: igitur quae res naturaliter moventur, eae ex se non moventur, id est se non movent. A brutis quoque ani-

(1) 1. 2. q. 9. a. 3. — (2) Vide, si lubet, II Cont. Gent. c. 47.

mantibus forma sensibilis procedere minime dicitur; eam enim a rebus exterioribus illa recipiunt, naturalique quadam aestimatione judicant, non tamen rationis collatione. Ex quo fit, quamquam aliquo modo ea se movere dicuntur, tamen id eis non esse ex se ipsis, sed tum ex natura, tum ex rebus exterioribus. Etenim se movere dicuntur, quatenus appetitus membra movet; sed quod ex formis sensibus exceptis, judicioque naturali aestimationis sequitur necessario appetitio, qua ad agendum impelluntur, idcirco causa sui motus nequeunt dici: itaque quoniam in eorum potestate non est principium actionis, hujus dominatum nequeunt habere. A substantiis autem intellectualibus forma procedit, qua eaedem operantur; in iis enim mente concepta est, et quodam modo inventa atque excogitata: ut patet in artifice, qui forma operatur a se inventa. Itaque cum in creaturis quae rationis sunt participes, sit formae, seu principii operationis, sita potestas, eas ex se moveri, suoque arbitratu operationes moderari, ac regere, omnibus est perspicuum. Atque iste profecto libertatis est modus, quo voluntas, quae rationem comitatur, suum internum motum exercere dicitur. De voluntatis tamen motione quantum ad exercitium, illud non praetermittendum, non ideo Dei impulsum esse rejiciendum, quod voluntas ex se moveri dicitur; nam (ut est apud Thomam) *cum aliquid movet seipsum, non excluditur quin ab alio moveatur, a quo habet hoc ipsum quod seipsum moveat* (1).

22. De intellectu autem illud est Thomae apertum testimonium, quo quidem dilucide exponitur ac egre-

(1) Q. 3. De malo a. 2. ad 4.

gie stabilitur, eumdem quantum ad exercitium a voluntate moveri: “ Alio modo dicitur aliquid movere per modum agentis, sicut alterans movet alteratum, et impellens movet impulsum: et hoc modo voluntas movet intellectum et omnes animae vires, ut Anselmus dicit in libro de similitudinibus. Cujus ratio est quia in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia quae respicit finem universalem, movet potentias quae respiciunt fines particulares. Et hoc apparet tam in naturalibus quam in politicis; coelum enim, quod agit ad universalem conservationem generabilium et corruptibilium, movet omnia inferiora corpora, quorum unumquodque agit ad conservationem propriae speciei, vel etiam individui. Rex etiam qui intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos praepositos civitatum, qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. Objectum autem voluntatis est bonum et finis in communi. Quaelibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, et intellectus ad cognitionem veri. Et ideo voluntas per modum agentis movet omnes animae potentias ad suos actus, praeter vires naturales vegetativae partis, quae nostro arbitrio non subduntur (1). „ De impulsu, seu motione, quantum ad exercitium satis dictum est.

23. Deinde de motione quantum ad specificationem dicetur, ostendeturque voluntatem ad actus speciem ab intellectu pertrahi. Id tamen non ita accipiendum est, ut intellectus ipse actui voluntatis det speciem, sed ut objectum eodem apprehensum, voluntatique proposi-

(1) 1. p. q. 82. a. 4.

tum, hanc ad hujus speciei actum potiusquam alterius impellat. Quod quidem facili ratiocinatione potest suaderi: nam voluntas quaedam inclinatio est in bonum mente apprehensum, sibique ut conveniens propositum; ea de causa si bonum istud hujus sit speciei potiusquam alterius, ad eam speciem voluntatis actum in illud tendentem pertinere, est perspicuum: ut puta si quidpiam ut amabile voluntati objciatur, atque id ut tale ea prosequatur, in amoris actum eadem exibit. Itaque objectum ab intellectu ostensum voluntati, eam ad actus speciem pertrahere est dicendum; quod quidem cum nihil aliud sit nisi eamdem quantum ad specificationem movere, planum est eo modo eam moveri ab intellectu. Ea de re est illud Thomae: " Intellectus movet voluntatem, sicut praesentans ei objectum suum (1). „

24. Verum hic obiter notandum, Aquinatem apertissime tradere, voluntatem ab intellectu non moveri necessario. Etenim is difficultatem in medium adducit ex illis Augustini verbis, quae ab intellectu nullatenus moveri voluntatem evincere videntur: *Praevolat intellectus, sequitur tardus aut nullus affectus: scimus bonum, nec delectat agere;* atque eamdem profligat, clare dicendo: " Quod ex illa auctoritate non habetur quod intellectus non moveat, sed quod non moveat ex necessitate (2). „ Quae verba profecto adsignificant, objectum ab intellectu voluntati demonstratum, eam quidem movere sed non ita ut ullam necessitatem ei inferat, utpote ejusdem libertati repugnantem. Quam ob causam egregie P. Nicolai eam responsionem in notis enucleans,

(1) 1. 2. q. 9. a. 1. — (2) Ibidem ad 1.

ait: “ Non sic movet ut inferat necessitatem voluntati; nam ex necessitate quidem plane movet, si referatur ad principium, quia omnino necesse est ut voluntas ab intellectu moveatur; non ex necessitate vero si referatur ad effectum, quia ex intellectus motione, sive impressione in voluntatem nulla sequitur necessitas, utpote libertati repugnans. „

25. Ut autem tractatio utriusque motionis, scilicet quantum ad exercitium et quantum ad specificationem, perficiatur, pervestigandum est, quo causarum genere moveat tum voluntas tum intellectus. Verum quod ad voluntatem spectat, omnem dubitandi ansam aufert Thomas, qui eam intellectum aliasque potentias movere asserit per modum agentis, ut supra dictum est; ex quo pronum est intelligere, voluntatis motionem ad genus causarum efficientium esse referendam. Sed vel inter Thomae discipulos in disceptationem venit, quo modo intellectus moveat voluntatem. Nonnulli, inter quos doctissimus Cajetanus, quo modo causa efficiens movet, eo voluntatem moveri ab intellectu arbitrati sunt: quod tamen non ita ab iisdem explicatur, ut intellectus, seu objectum eo apprehensum, sit causa efficiens ut quod volitionis, quemadmodum voluntas intellectum suo peculiari actui adjungendo, dicitur causa efficiens ut quod intellectionis; sed ita ut objectum animo comprehensum sit efficiens causa ut quo, perficiens voluntatem, quae ex se impotens dicitur ad actum suum ponendum, seu producendum, quantum ad rationem specificam: quod sat obscurum videtur. Itaque secundum sententiam hanc voluntas atque objectum eo fere modo ad volitionis actum efficiendum operam contribuunt, quo ad actum intellectionis, intelle-

ctus speciesque intelligibilis. Verum id omnino falsum, et a Thomae doctrina alienum videtur. Etenim, ut quisque maxime perspicit, principium quo in ipso agente reperiri est necesse, ut manifestum fit exemplo ignis, cujus principium quo calor est, atque vel ipsius intellectus, cujus principium quo est species intelligibilis; at vero objectum animo comprehensum a voluntate non excipi, sed in intellectu permanere, omnibus philosophis est perspicuum; itaque nequit objectum apprehensum esse principium quo volitionis. Neque illud dicere licet, ut principium quo sit in eadem potentia, quae operatur, non esse necesse, sed satis superque esse, ut intus sit in animae essentia; nam si voluntas ex se impotens est ad rationem specificam attingendam, oportet profecto ut quidpiam intus in se recipiat, quo ad id fiat potens; potentis enim denominatio est (ut dicitur) intrinseca, ideoque a forma interiori repetenda est. Quod quidem exemplo causae instrumentalis potest comprobari; instrumentum enim ad effectum suum emittendum potens non fit, nisi motionem causae principalis in se recipiat: qua quidem ratione necessitatem phisicae praemotionis tum quantum ad exercitium, tum quantum ad specificationem, statuunt Thomistae. His de causis atque rationibus Aquinas, de motione loquens, qua voluntas ab intellectu ad agendum pertrahitur, causae efficientis genus apertissime rejicit: "Intellectus non secundum modum causae efficientis, vel moventis, sed secundum modum causae finalis movet voluntatem, proponendo ei suum objectum, quod est finis (1). „

(1) I. Cont. Gent. c. 72.

26. Itaque omnino affirmandum videtur, intellectum, seu objectum eo apprehensum, ut causam finalem et formalem, voluntatem permovere, cum de utraque Thomas loquatur. Verum quod ad causam formalem pertinet, illud animadvertendum, hic de forma exteriori sermonem esse; nam (ut est apud Thomam) objectum non est materia ex qua, sed circa quam, et habet aliquo modo rationem formae in quantum dat speciem. De forma vero ita considerata est illud nostri Doctoris, quod secundam propositionem partem confirmat, exponitque dilucide: " Sed objectum movet determinando actum ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus actio specificatur, sicut calefactio a calore. Primum autem principium formale est ens, et verum universale, quod est objectum intellectus; et ideo isto modo motionis intellectus movet voluntatem, sicut praesentans ei objectum suum (1). „ Moveri autem voluntatem ab objecto ut a causa finali, apertissime docet Aquinas, ut dictum est (25), brevique ratiocinatione suaderi potest. Objectum voluntatis cum sit bonum, quo genere causae bonum movet, eo intellectus voluntatem movere dicendus est; porro autem bonum non nisi ut causa finalis movere dicitur, voluntatem scilicet ad se alliciendo atque pertrahendo; quapropter ut causam finalem intellectum, seu objectum eo apprehensum, planum est voluntatem permovere.

(1) 1. 2. q. 9. a. 1.

CAPUT V.

De necessario nexu electionem inter et ultimum rationis judicium.

27. Quaestionis status imprimis aperitur. — 28. Deinde Thomae auctoritate statuitur, ita voluntatem ultimum sequi rationis judicium, ut ea nequeat aliud eligere, nisi id quod ipso eligendum eidem proponitur. — 29. Prima difficultas profligatur. — 30. In medium adducitur, exsolviturque secunda difficultas. — 31. Tertia difficultas evolvitur. — 32. Veritas jam stabilita Bellarmini auctoritate confirmatur. — 33. Eadem veritas ipsa eo comprobatur, quod e duobus bonis sibi propositis, minus vel aequale eligere nequit voluntas, eodem ultimo judicio permanente. — 34. Quam quidem doctrinam ab Aquinate traditam fuisse demonstratur.

27. Ut quaestionis status perspiciatur, imprimis illud animadvertendum, varios actus rationis et voluntatis continuata serie se excipere, antequam electio fiat. Primus actus est intellectus, qui finem apprehendit; illumque alius voluntatis actus consequitur, qui est ejusdem finis appetitio. Ea de re est illud Thomae: " In ordine autem agibilium, primo quidem oportet sumere apprehensionem finis, deinde appetitum finis (1). „ Finis autem appetitionem alter rationis actus super mediis consequitur, quem consilium philo-

(1) 1. 2. q. 15. a. 3.

sophi appellant, quemque alius voluntatis excipit actus, qui mediorum appetitio nuncupatur. His de rebus post verba supra producta Aquinas ait: " Deinde consilium de his quae sunt ad finem, deinde appetitum eorum quae sunt ad finem „. Rationis inquisitione, seu consilio, super mediis, horumque appetitione expletis, subsequitur intellectus judicium, seu sententia, de mediis eligendis ad finem obtinendum; et deinde medii illius quod ab intellectu proponitur, fit electio. Itaque tria hac de re animo ponderanda sunt: 1° consilium ad media solummodo referri; nam, ut est apud Thomam; " Cum consilium sit quaestio, de fine non est consilium, sed solum de his quae sunt ad finem (1). „ 2° Iudicium de mediis eligendis, quod judicium practicum, seu ultimum, a philosophis nuncupatur, subsequi consilium, ac ejus esse veluti conclusionem; etenim, ut ait Aquinas: " In rebus agendis multa incertitudo invenitur, quia actiones sunt circa singularia contingentia, quae propter sui variabilitatem incerta sunt. In rebus autem dubiis et incertis ratio non profert judicium absque inquisitione praecedenti: et ideo necessaria est inquisitio rationis ante judicium de eligendis. Et haec inquisitio *consilium* vocatur; propter quod Philosophus dicit, quod *electio est appetitus praeconsiliati* (2)„. 3° Tandem considerandum, postremum voluntatis actum, qui electio est, rationis sententiam, idest judicium practicum, immediate consequi; atque in illud peculiare bonum ferri, quod eodem judicio voluntati eligendum demonstratur. His de rebus Thomas ait: " Dicendum quod, sicut jam dictum est, art. 1.

(1) 1. 2. q. 14. a. 2. — (2) Ibid. a. 1.

huj. quaest. ad 2, electio consequitur sententiam, vel judicium, quod est sicut conclusio syllogismi operativi. Unde illud cadit sub electione, quod se habet ut conclusio in syllogismo operabilium (1). „ In loco autem ad quem hic revocat, dixerat noster Doctor: “ Ad secundum dicendum quod conclusio syllogismi, quae fit in operabilibus, ad rationem pertinet, et dicitur sententia, vel judicium, quam sequitur electio; et ob hoc ipsa conclusio pertinere videtur ad electionem tanquam ad consequens. „ Quibus quidem ex rationibus atque auctoritatibus pronum est colligere, ultimum rationis judicium nihil esse aliud, nisi quamdam consilii conclusionem, qua medium aliquod voluntati proponitur ad finem obtinendum, quaeque voluntatis ipsius electionem immediate praecedit. Itaque quaeritur, utrum voluntas ita judicium istud, seu objectum eo propositum, ex necessitate sequatur, ut aliud nequeat eligere.

28. Sententiae partis abnuentis videtur Suarezius, sed Thomistae, Angelico Doctore duce, ajentium sententiam tuentur; quam quidem a Platone et Aristotele accepit noster Doctor; quem Bellarminus, Leibnitius aliique bene multi sunt sequuti. Verum illud non praetermittendum, de absoluta necessitate hic sermonem non esse, sed de hypothetica, scilicet posito quod voluntas practicum judicium immutare nolit; etenim (ut in capite sequente effuse dicetur) id potest, si velit; qua ex re ante voluntatis acceptationem, practicum judicium, apte congruenterque loqui si volumus, ultimum dici nequit. Itaque communem Thomistarum senten-

(1) Loc. cit. q. 13. a. 3.

tiam, eo sensu explanatam, Aquinatem tradidisse in dubium non venit; quum non modo eam Thomas asserit, verum etiam evincit, atque objecta refellit: " Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur. Et quod quandoque appetitus videatur cognitionem non sequi, hoc ideo est, quia non circa idem accipitur appetitus et cognitionis judicium. Est enim appetitus de particulari operabili, judicium vero rationis quandoque est de aliquo universali, quod est quandoque contrarium appetitui. Sed *judicium de hoc particulari operabili, ut nunc, numquam potest esse contrarium appetitui.* Qui enim vult fornicari, quamvis sciat in universali fornicationem malum esse, tamen judicat sibi ut nunc, bonum esse fornicationis actum, et sub specie boni ipsum eligit (1). „ Quibus quidem ex verbis citra dubium omnibus in promptu est, voluntatem, quod non nisi in bonum fertur mente apprehensum, sibique ab ea demonstratum, idcirco rationem sequi esse necesse; ex quo fit, aliud profecto eamdem eligere non posse, nisi id quod practico judicio ei ratio proponit; etenim eodem practico judicio permanente aliud si appeteret, rationem eam non sequi, nemo est qui non videat.

29. Jam dictis autem facile eorum difficultas profligatur, qui illud Medeae, apud Poetam, opponunt:

. . . . . . *video meliora proboque: deteriora sequor.*

Etenim secundum Thomae doctrinam atque veritatem duplex est judicium de actionis alicujus, reive, bonitate

(1) Q. 24. de verit. a. 2.

aut malitia: unum speculativum, de bonitate aut malitia actionis in se consideratae; practicum alterum de bonitate aut malitia actionis nunc ponendae. Ejusmodi exempla in Thomae testimonio supra proposito conspiciuntur; speculativum enim judicium illa verba exhibent, *fornicationem malum esse*; practicum vero quae consequuntur, *bonum esse fornicationis actum*. Atqui minime asseritur a Thomistis, voluntatem speculativum judicium ex necessitate sequi, quod certe a veritate alienum est; sed solummodo practicum, electionis actum immediate praecedens, de quo citra dubium Poeta non loquitur. De eodem vero est illud Thomae praeclarum, supra productum: " Judicium de hoc particulari operabili, ut nunc, numquam potest esse contrarium appetitui. „

30. Neque illud objicere quispiam poterit, voluntatem sui actus esse dominam atque reginam; eaque de causa penes eamdem esse potestatem, secundum vel contra rationis judicium agendi, esse necesse. Etenim voluntatis dominium facile ab exitio vindicatur, si ponatur, eamdem agere et non agere semper posse; quod quidem in Thomistarum quoque sententia nullae dubitationi potest esse obnoxium. Nam ut in voluntatis potestate sit, actum non emittere, procul dubio satis est, ut objectum ei demonstratum non sit bonum perfectum, sed contingens quatenus ultimum finem respicit; quum enim ad bonum istud appetendum, voluntas nulla necessitate vinciatur, ab emittendo actu libera est. His rebus accedit, voluntatem semper judicium immutare posse, intellectum ad alia in objecto demonstrato consideranda impellendo; etenim (ut jam innui) practicum judicium ultimum apte dici nequit, nisi post

voluntatis acceptationem. Si tamen ponatur, judicium idem permanere, aliud eligere voluntas nequit; propterea quod appetitus rationalis ea est, formam mente apprehensam sequens; idcirco si aliud quam id quod ab intellectu ei proponitur, eligeret, absque motivo utique ageret.

31. At dices fortasse, motivum sufficiens esse, quia voluntas ita vult. Respondeo: jocaris; etenim (ut ait alicubi D. Thomas) manifestum est, quod omnis appetitus est propter aliquid; stultum est enim dicere quod aliquis appetat propter appetere: nam appetitus est quidam motus in aliud tendens. Quibus ex verbis absque negotio colligitur, non esse in voluntatis potestate, rationis judicio repudiato, ex se actum emittere. Itaque idcirco quod quispiam vult, judicium immutare poterit, et aliud eligere; sed quia tum aliud ideo eligit, quod ut liberum se esse demonstret, melius esse judicat, planum est etiam tunc electionem judicium consequi. Ea de re est illud praeclarum Bellarmini: " Hoc ipsum tunc futurum ultimum judicium practicum omnibus consideratis, bonum mihi est nunc contra rationem agere, ut me liberum esse demonstrem. Atque ita falsum erit, posse reddi rationem, cur aliquis egerit contra determinationem ultimi judicii practici; nec non et illud erit falsum, posse fieri, ut quis agat aliquid, repugnante ultimo judicio rationis (1). „

32. Sed quoniam Bellarmini mentionem feci, rationes placet subjicere, quibus idem doctissimus Cardinalis, cui quidem *verissima* videtur Thomae sententia, veritatem nostram confirmat. Voluntas (ut is ratio-

(1) De grat. et lib. arb. l. 3. c. 8.

cinatur) sine praecedenti rationis judicio nihil velle potest; appetitus enim ea est rationalis, cujus quidem objectum bonum est apprehensum et conveniens judicatum; quapropter si absque praecedenti judicio aliquid vellet, sine objecto ageret, quod nequit admitti. Praeterea eadem veritas ipsa eo comprobatur, quod propter aliquem finem homo semper agit; ex quo fit, numquam ad aliquid eligendum eumdem moveri, nisi illud medium aptum esse, ad finem sibi propositum obtinendum, ei demonstret intellectus. Quae quidem res experientia potest evinci; nemo enim est, qui si interrogetur, cur agat, non respondeat, quia ita faciendum esse judicat. His de rebus atque rationibus omnibus compertum est, sine praecedenti rationis judicio nihil voluntatem velle posse. Itaque ubi ratio aliquod peculiare bonum voluntati eligendum demonstrat, seu (ut dicitur) ubi judicium ad unum determinatum est, tum voluntatem idem bonum eligere est necesse: aliud enim si eligeret, absque praecedenti judicio electio daretur, actioque sine objecto, quod absurdum est. Jam vero ultimum rationis judicium ad aliquod peculiare bonum est determinatum; dicit enim ratio illud proferens, hoc rebus omnibus consideratis melius est et magis conveniens: quocirca si aliud quam id quod eo judicio ei proponitur, voluntas eligeret, sine judicio utique ageret, proindeque actio sine objecto daretur: " Voluntas non potest aliquid velle sine praecedenti judicio rationis; ergo si judicium sit indeterminatum, et ipsa erit indeterminata, si judicium determinatum sit, et ipsa determinata erit: at judicium ultimum practicum est omnino determinatum; dicit enim tunc ratio, hoc nunc (omnibus consideratis) est faciendum;

igitur voluntas necessario eliget id quod ultimum judicium practicum determinavit esse eligendum (1). „

33. Ratio ista quam diserte Bellarminus persequitur, praeterea demonstrat, voluntatem e duobus bonis sibi practico judicio ab intellectu propositis, minus aut aequale eligere non posse, judicio eodem permanente: quod quidem cum veritatem nostram confirmet, paucis nunc placet exponere. Quia voluntas, ut saepius dictum est, rationalis est appetitus, ac ideo bonum mente apprehensun prosequitur, idcirco quo modo intellectus dicit, eo in bonum eamdem inclinari est necesse. Porro autem duo bona ab intellectu demonstrata inaequalia si sunt, ratio melius, seu aptius ad finem obtinendum eligendum esse dicit; quapropter eodem permanente judicio, illud ex necessitate eligetur. Qua de re Goudin, omni philosophica doctrina peritissimus ait: “ Ceterum fieri nequit, ut quod hic et nunc ultimato judicio minus eligibile .... judicatur, praeeligatur alteri quod magis eligibile judicatur. Tum quia electio est appetitus *praeconsiliati*, id est in collatione praelati, tum quia voluntas cum supponat et sequatur intellectum, eo modo tendit in bonum quo tendendum dictat intellectus. Ergo impossibile est ut, si intellectus dictet aliquid praeeligendum et aliud postponendum, voluntas istud praeeligat, illud postponat (2) „. Quod si duo bona voluntati demonstrata, aequalia sunt, tum unum alteri ratio praeferre nequit; quod enim judicium indeterminatum est, ideo voluntatem esse indeterminatam est necesse; quae proinde eorum nullum eligere potest, nisi ad considerandum aliquid in alterutro, quo

(1) Loc. cit. — (2) De act. hum. a. 3.

ea inclinetur, intellectum impellat. Ea de re est illud praeclarum nostri Poetae:

" Intra duo cibi, distanti e moventi
D'un modo, pria si morria di fame,
Che l'iber uomo l'un recasse a' denti:
Sì si starebbe un agno intra duo brame
Di fieri lupi, igualmente temendo:
Sì si starebbe un cane intra due dame (1) „.

34. Ea vero doctrina absque dubio ab Aquinate tradita est; etenim is statuens egregie, non ex necessitate hominem eligere, sed libere, in medium profert difficultatem illam: " Si aliqua duo sunt penitus aequalia, non magis movetur homo ad unum quam ad aliud; sicut famelicus si habet cibum aequaliter appetibilem in diversis partibus, et secundum aequalem distantiam, non magis movetur ad unum quam ad alterum.... Sed multo minus potest eligi quod accipitur ut minus, quam quod accipitur ut aequale. Ergo si proponantur duo, vel tria, vel plura, inter quae unum majus appareat, impossibile est aliquod aliorum eligere. Ergo ex necessitate eligitur illud quod eminentius apparet. Sed omnis electio est de eo quod videtur aliquo modo melius. Ergo omnis electio est ex necessitate (2) „. Quam quidem difficultatem Thomas evolvens, e duobus bonis voluntati demonstratis minus aut aequale eligi non posse non negat, immo id silens probat, respondetque, hominis libertati eam rem non obesse; propterea quod in illorum alterutro aliqua ratio considerari potest, qua melius appareat,

(1) Div. Comm. Parad. Cant. 4. — (2) 1. 2. q. 13. a. 6.

magisque in illud inclinetur voluntas quam in aliud: “ Ad tertium dicendum quod nihil prohibet si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud „. Quibus ex verbis omnibus in promptu est, secundum Thomae doctrinam, e duobus bonis voluntati propositis unum prae alio eamdem eligere non posse, nisi *circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud.* Itaque quae hactenus disputata sunt concludendo, placet replicare, voluntatem, quae rationalis est appetitus, ita ultimum rationis judicium ex necessitate sequi, ut eo immutato aliud nisi id quod eodem eligendum ei demonstratur, queat eligere; eamque rem ex Angelico Praeceptore Thomistas didicisse; neque eam certe improbare voluisse qui ait: *Sit pro ratione voluntas.*

CAPUT VI.

De libertate ultimi judicii.

35. Multiplex significatio exponitur, quae his verbis judicii liberi subjecta est; et quaestionis status praefinitur. — 36. Thomae doctrina evincitur, ultimum rationis judicium liberum esse, seu in potestate voluntatis. — 37. Secunda ejusdem rei probatio in medium adducitur. — 38. Difficultas ex praecedentibus probationibus ducta proponitur et profligatur. — 39. Proponitur tertia probatio, qua Thomam ostenditur eamdem veritatem aperte tradidisse. — 40. Quod quidem aliis ejusdem testimoniis confirmatur. — 41. Hujus capitis conclusio.

35. Voluntatem ultimum rationis judicium ex necessitate sequi, probationibus in superiore capite relatis planum factum est; at ne cuipiam eam ob causam hominis libertas periclitari fortasse videatur, peculiarem tractationem placet instituere de libertate ejusdem ipsius ultimi judicii. Praenotandum tamen, judicium dupliciter liberum nuncupari posse: primum quidem quatenus judicium ipsum, seu ratio, ut libertatis subjectum consideratur; deinde quatenus voluntatis dominationi idem judicium existimatur subesse. Porro autem primo modo judicium non licet liberum dicere; etenim (ut in primo capite dictum est) liberum arbitrium reapse est voluntas ipsa, in qua proinde tamquam in subjecto, libertas esse debet. Enim vero si

in ratione, tamquam in subjecto, esset sita libertas, multa ea ex re sequerentur incommoda, quae quidem in praeclaro illo Bellarmini testimonio recensentur: " Si formaliter esset in ratione libertas, sequeretur, primo: hominem peccare ante consensum voluntatis. Secundo eumdem bis peccare, cum primo judicat esse faciendum id quod non licet et deinde ipsum eligit. Tertio: ignorantiam plane involuntariam a peccato non excusare. Nam ad peccandum non requiritur nisi libertas: libera enim transgressio legis peccatum est. Quare si ante consensum voluntatis libertas est in ratione, ante consensum voluntatis, ratio peccare poterit, et cum postea accedit consensus, erit aliud peccatum, et ignorantia erit libera, quamvis sit involuntaria. Haec autem absurda esse nemo negare poterit, cum repugnent communi sensui generis humani (1) „. His ex rebus atque rationibus satis leviter potest colligi, ultimum rationis judicium liberum solummodo dici posse secundo modo, in principio proposito; id est quatenus in voluntatis potestate idem est, seu quatenus voluntas arbitratu suo ipsum moderatur atque regit. Ea est libertas de qua hic sermo est: atque Thomae rationibus practicum judicium eo sensu vere liberum esse erit stabiliendum.

36. Verum id iis ex rebus quae in superiore capite disputatae sunt, parvo negotio colligi posse videtur; si enim (ut Thomae auctoritate est statutum) *judicium de hoc particulari operabili ut nunc* (seu practicum judicium) *numquam potest esse contrarium appetitui;* ut voluntatis electio libere fiat, profecto necesse est,

(1) De grat. et lib. arb. l. 3. c. 8.

judicium istud in potestate esse ejusdem voluntatis ipsius. Etenim si rationis judicium alicui peculiari bono firmiter adhaereat, voluntas vero pro arbitratu suo illud nequeat moderari, aut immutare, et tamen illud ipsum ex necessitate sequatur, quomodo electionis libertas ab exitio vindicari poterit? Quod quidem in brutis animantibus, aut vehementi passione agitatis quisque perspicit; quod enim eorum judicium uni rei adhaeret, seu ut dicitur, ad unum est determinatum, neque tamen in eorumdem manu est, idcirco libertate eos omnino carere est necesse. Qua de re est illud Thomae: " Si judicium cognitivae non sit in potestate alicujus, sed sit aliunde determinatum; nec appetitus erit in potestate ejus (1). „ Quam ob causam citra dubium affirmandum est, practicum rationis judicium sic in voluntatis esse potestate, ut antequam ea electionis actum emittat, illud immutare queat. Id autem fieri posse facili argumento suadetur; voluntas enim (ut jam ex Thoma alibi dictum est) omnes animae vires ad suos actus impellit, praeter vires vegetativae partis, quae arbitrio nostro non subduntur; neque impulsioni isti rationis deliberationem praeire est necesse, uti in difficultatum solutione demonstrabitur: quocirca priusquam ea electionis actum edat, ad aliud in objecto proposito considerandum intellectum potest impellere, ut tandem quod sibi libuerit, id eligere queat. Quod quidem Aquinas tum innuisse videtur, quando loco citato dicit, judicium *de particulari operabili* esse in potestate judicantis, quatenus hic mentis reflexione judicium suum dignoscens, rationes denuo considerare

(1) Q. 24. de verit. a. 2.

potest, ob quas illud emisit: „ Judicium autem est in potestate judicantis, secundum quod potest de suo judicio judicare: de eo enim quod est in nostra potestate possumus judicare. Judicare autem de judicio suo est solius rationis, quae super actum suum reflectitur, et cognoscit habitudines rerum de quibus judicat et per quas judicat. „

37. Praeterea eadem veritas ipsa eo facile evincitur, quod finis quoque intentione posita, ab objecto ei judicio practico demonstrato, voluntas ex necessitate non movetur; qua ex re pronum est colligere, eamdem judicium istud immutare, aliudque eligere posse. Voluntas enim erga quaelibet peculiaria bona, tum quantum ad exercitium tum quantum ad specificationem est libera; atque a bono sub communi notione apprehenso, solummodo quantum ad specificationem, a Deo autem clare viso quantum ad exercitium et quantum ad specificationem movetur ex necessitate. Porro autem objectum, quod judicio practico intellectus proponit voluntati expetendum, bonum est peculiare; quapropter ab illo eligendo eamdem liberam esse nemo non videt. Et re vera libera est voluntas erga quodlibet bonum, quod sub judicii indifferentia ei ab intellectu demonstratur; at quodvis bonum peculiare, cum a ratione boni perfecti deficiat, sub eadem indifferentia semper ei propositum censetur. Neque illud quispiam dicat, bonum hoc a practico judicio aliis bonis praeferri; quamquam enim judicium bonum istud aliis praefert, bonum tamen peculiare esse, non negat: ex quo fit, voluntatem, efficaci quoque intentione finis obtinendi posita, nulla necessitate sic vinciri ut illud eligere cogatur. Eam ob causam Cajetanus, in Aquinatis doc-

trina peritissimus, illud ejusdem explanans: " Nihil prohibet si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud „, ait: " Proposito voluntati aliquo eligibili eminentiore aliis, non necessitatur voluntas ad eligendum illud: quia potest movere ad considerandum in altero aliquid aliud, quo praestet, et sic illud eligere „; et postea subdit: " Et haec intellige supposito quod voluntas velit eligere: simpliciter namque et absolute voluntas a toto genere eligibilium libera est, *ad nullumque necessario inclinatur.* „

38. Dices: Iis ex rebus quae hactenus sunt disputatae, facile cogi posse videtur, voluntatem ultimum rationis judicium non sequi necessario; potest enim voluntas, ut in prima probatione dictum est, practicum judicium, quoties voluerit, immutare: quam ob rem necessitas illud sequendi ex finis intentione nequit oriri, nisi fortasse cum unicum medium adest, ad eumdem obtinendum. Praeterea in secunda probatione dictum est, objectum practico judicio voluntati propositum, quod bonum peculiare est ideo a ratione boni perfecti deficere, eaque de causa ad illud eligendum ex necessitate eamdem non moveri. Unde ergo in voluntatem necessitas ultimum judicium sequendi potest existere, cum eadem ex se indifferens sit atque libera? Respondetur, necessitatem istam ex naturali modo agendi voluntatis oriri; rationalis enim appetitus ea est, atque proinde rationem eamdem sequi est necesse: itaque si ratio dicit, hoc rebus omnibus perpensis esse eligendum, id ea necessario eliget, judicio

eodem permanente; si autem duo bona esse aequalia, nullum eliget; et si inaequalia, minus eligere non poterit. Quod tamen sic intelligendum est, ut in ejus potestate sit judicium immutare, ut jam dictum est.

39. Quam porro doctrinam pluribus in locis nostrum Doctorem apertissime tradidisse, facile comprobatur. Etenim quaerit Thomas, *utrum consensus sit de fine, vel de his quae sunt ad finem* (1), et aperte palamque enunciat, consensum nihil esse aliud, nisi applicationem motus voluntatis alicui rei in potestate ejusdem voluntatis ipsius praeexistenti: " Dicendum quod consensus nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid praeexistens in potestate applicantis. „ Porro autem secundum Thomae doctrinam, consilio, seu consilii conclusioni, aut determinationi, consensus adjungitur; nam is discrimen, quod est consensum inter et electionem, explanans dicit, nihil aliud hanc isti addere, nisi *relationem quamdam respectus ejus cui aliquid praeeligitur*: et si unum solummodo quod placeat inveniatur, reapse consensum ab electione non discrepare: " Dicendum quod electio addit supra consensum quamdam relationem respectus ejus cui aliquid praeeligitur; et ideo post consensum adhuc remanet electio. Potest enim contingere quod per consilium inveniantur plura ducentia ad finem, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentitur, sed ex multis quae placent, praeaccipimus unum eligendo. Sed si inveniatur unum solum quod placeat, non differunt re consensus et electio, sed ratione tantum; ut consensus dicatur secundum quod placet ad agendum; electio autem, secundum

(1) 1. 2. q. 15. a. 3.

quod praefertur his quae non placent (1). „ Quibus ex verbis haud dubie colligitur, consilio, seu consilii conclusioni, quae certe nihil aliud est quam practicum judicium, consensum applicari; qua de re est illud praeclarum Aquinatis: " Et ideo applicatio appetitivi motus ad determinationem consilii proprie est consensus (2) „. Itaque quoniam *consensus nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid praeexistens in potestate applicantis*, idemque adjungitur consilii conclusioni, seu practico rationis judicio, hoc in manu *applicantis*, id est in voluntatis potestate esse, secundum Thomae doctrinam, nemo est qui non videat.

40. Quod quidem Thomas etiam clarius alibi docuit; demonstrans enim liberum arbitrium potentiam esse appetitivam, seu voluntatem, illius naturam ex electione dicit esse dijudicandam. Qua ex causa electionem perpendens, ad eam constituendam aliquid concurrere affirmat ex parte intellectus, et aliquid ex parte voluntatis: ex parte illius consilium esse necessarium, quo quidem quid sit praeferendum constituatur; ex parte vero hujus quod in consilio praelatum est, id ut accipiatur, seu admittatur, omnino oportere: " Ad electionem autem, concurrit aliquid ex parte cognitivae virtutis, et aliquid ex parte appetitivae. Ex parte quidem cognitivae requiritur consilium, per quod dijudicatur quid sit alteri praeferendum. Ex parte autem appetitivae requiritur quod appetendo acceptetur, quod per consilium dijudicatur (3). „ Quo ex testimonio facile intelligitur, quod practicum rationis judicium a voluntate est admittendum, ut electionis actus

(1) Ibid. ad 3. — (2) Ibid. in o. — (3) 1. p. q. 83. a. 3.

consequatur, idcirco illud liberum esse, seu in ejusdem potestate. Quam quidem veritatem ibidem noster Doctor, difficultates enucleando, confirmat. Etenim sibi illud objicit: " Liberum arbitrium dicitur quasi liberum judicium. Sed judicare est actus cognitivae virtutis. Ergo liberum arbitrium est cognitiva potentia. „ Difficultati isti satis facere Thomas poterat majorem argumenti explanando, scilicet quamquam liberum arbitrium idem dicit quod liberum judicium, potentiam tamen significare, qua quisque libere judicat, id est voluntatem; ita enim illud incommodum vitasset, liberum arbitrium esse *potentiam cognitivam.* Et certe supra (2) jam is dixerat: " Quod quamvis liberum arbitrium nominet quemdam actum secundum propriam significationem vocabuli, secundum tamen communem usum loquendi liberum arbitrium dicimus id quod est hujus actus principium, scilicet quo homo libere judicat. „ Attamen illa majori missa, minori respondet, practicumque judicium non modo ad intellectum spectare asseverat, sed etiam ad ipsam voluntatem quatenus illud determinatum, id est ultimum, dici nequit, nisi ab eadem admittatur: " Ad secundum dicendum, quod judicium est quasi conclusio et determinatio consilii. Determinatur autem consilium primo quidem per sententiam rationis, et secundo per acceptationem appetitus. Unde philosophus dicit, quod *ex consiliari judicantes desideramus secundum consilium.* Et hoc modo ipsa electio dicitur quoddam judicium, a quo nominatur liberum arbitrium. „

41. Quibus quidem ex rebus atque rationibus ab-

(2) Ibid. a. 2.

sque ullo dubio potest colligi, practicum judicium, seu (ut Thomae placet) judicium de particulari operabili, apte congruenterque ultimum non dici, nisi postquam a voluntate fuerit admissum. Dictum est enim ut electionis libertas ab exitio vindicetur, illud esse in voluntatis potestate omnino necesse esse; si enim (ut est apud Thomam) judicium non sit in potestate alicujus, neque appetitus erit in potestate ejus. Quae quidem veritas eo confirmata est, quod quum objectum practico judicio propositum bonum sit peculiare, nullam necessitatem voluntati potest inferre. Itaque voluntas, quae omnes animae potentias ad suos actus impellit, intellectum movere potest ad aliud in objecto sibi demonstrato considerandum, quo quidem minus bonum, seu minus aptum ad finem obtinendum illud judicetur. Neque enim verum est (ut Gazzaniga, vir praeclara eruditione atque theologica doctrina ornatus, ait) quod aliqui dicunt, nostram voluntatem esse instar bilancis, cujus ea pars inclinatur, quae majori pondere premitur, ut nempe et nos semper illud amplectamur, quod omnibus consideratis melius apparet, illudque declinemus, quod minus bonum, aut omnino malum videtur. Haec similitudo a re nostra quam longissime abest; nam, ut saepius dictum est, a nostra voluntate pendet, in objecto considerare plures aut minores rationes boni, illudque proinde appetere vel respuere. Hinc frequentissime contingit, ut idem objectum modo prosequamur, modo aversemur, prout scilicet diversa facie nobis objicitur (1). Quae omnia profecto demonstrant, practicum judicium a voluntate semper posse

(1) De act. hum, Diss. 1. c. 5.

immutari, proindeque ultimum apte non dici, priusquam ea illud excipiat. Ea de causa Thomam palam enunciasse vidimus, et ab intellectu electionem pendere et a voluntate, a qua tamen eo sensu, ut quod in consilio praelatum est, id recipiat. Praeterea judicium consilii determinationem esse, illudque imprimis rationis sententia, deinde voluntatis admissione determinari, id est id praefigi quod est eligendum. Itaque omnibus hac de re Thomae mens est perspecta, quae quidem ex eo testimonio, quod tamquam cumulum iis quae jam producta sunt placet adjungere, magis dignoscitur; in quo profecto noster Doctor enunciat aperte, ultimam de rebus agendis sententiam non ad rationem, sed ad voluntatem pertinere; ita ut nihil ante electionem absolute praefinitum sit, atque tum solum judicium queat ultimum dici, quando ea peracta immediate illud eamdem praecessit: “ Manifestum est autem quod superior ratio est quae habet de omnibus judicare.... Finalis autem sententia de agendis est consensus in actum (1) „.

(1) 1. 2. q. 15. a. 4.

CAPUT VII.

Nonnullae difficultates solvuntur.

42. Proponitur exsolviturque prima difficultas, ex eo ducta quod ultimum judicium non sit electionis objectum. — 43. Instantia evolvitur, quae rationis deliberatione opus esse dicit, ut voluntas intellectum impellat, ad aliud de eodem objecto considerandum. — 44. Secunda difficultas, deducta ex eo quod libertas oriatur ex deliberatione. — 45. Tertia difficultas ex Bellarmino, qui voluntatem non posse non eligere peculiare bonum, quod ultimo judicio ei intellectus proponit, palam enunciat. — 46. In medium profertur, atque ad exitum deducitur postrema difficultas, qua ex iis quae dicta sunt, colligendum dicit, voluntatem practicum rationis judicium non sequi necessario.

42. Practici judicii libertate demonstrata, nonnullas difficultates placet exsolvere, quae ei caliginem quamdam offundere videntur. Imprimis vero illam, quae nuper in medium prolata est: Ut practicum judicium liberum dici queat, quod voluntati subjiciatur, satis non est; sed praeterea sub ejusdem electionem illud cadere omnino est necesse. At vero id rectae rationi repugnare nemo non videt; practicum enim judicium immediate electionem praecedit; neque alia prior electio potest poni, tum quia id difficultatem non dirimeret, propterea quod denuo esset investigandum, utrum judicium istam electionem antecedens liberum esset,

tum quia id esset in infinitum abire. Itaque quoniam practicum rationis judicium praeit electioni, neque hujus objectum, neque liberum dici potest.

Verum qui ita loquitur, ambiguo verborum eum ludere, ex iis rebus quae hactenus dictae sunt, facili negotio potest colligi. Etenim practicum judicium (ut in capite superiore dictum est) liberum non est, neque potest dici, quatenus est objectum deliberationis, electionisque praecedentis, id enim difficultatem non solveret, ut ab adversariis merito dicitur. Praeterea judicium ad electionem praerequiritur, at ridiculum profecto esset asseverare, ad actus quoque qui veluti dispositiones, seu praerequisita, sunt ad electionem eamdem, illud praerequiri. Itaque judicium dicitur liberum, ut jam dictum est, quatenus in voluntatis est potestate, seu quatenus ea arbitratu suo illud moderari, regere ac immutare potest. Quum enim judicium reapse ultimum non sit, nisi postquam voluntas illud admisit (quemadmodum Thomae auctoritate est statutum); atque objectum eo demonstratum, quod bonum peculiare est, nullam necessitatem inferre possit voluntati; haec, quae quidem omnes animae potentias ad suos actus impellit, intellectum movere potest, ad considerandum bonum esse, quod non bonum videbatur: ita ut judicium semper ex necessitate sequens, quod sibi libuerit, id tandem ea eligat.

43. Sed instabis fortasse, ut voluntas intellectum impellat ad alias rationes in objecto sibi demonstrato considerandas, praecedentem deliberationem esse necessariam; a quopiam enim ad actum illum ponendum ea debet moveri, nisi eamdem absque motivo agere quispiam ponere velit. At vero praecedente delibera-

tione, judiciove si opus est, jam est in infinitum abire, quod nequit admitti. Itaque dicere, quod voluntas intellectum movet, idcirco judicium esse liberum, non est difficultatem profligare.

Respondeo difficultatem istam, quemadmodum praecedentem, aequivocatione laborare. Imprimis autem illud falsum, deliberatione praecedente opus esse, ut intellectum voluntas moveat, ad aliud in objecto sibi practico rationis judicio proposito considerandum, seu ad rationes denuo ponderandas, ob quas judicium illud emisit; ad id enim satis superque est finis appetitio. Si ponatur enim voluntatem finem expetere, eumque assequi velle mediis aptioribus, quum tunc appetitione ista jam ea sit in actu, praecedente consilio, seu deliberatione, planum est eamdem non indigere, ut ad aptius medium inquirendum intellectum permoveat. Quod quidem adversariorum aequivocationem aperiendo facilius percipietur. Itaque illud attentius considerandum, diversum esse modum quo voluntas intellectum impellit, et quo hic ab ista movetur (1); jam enim alibi dictum est, ab intellectu voluntatem moveri quantum ad actus specificationem, idest quatenus hujus speciei objectum potiusquam alterius ille huic demonstrans, ad ejusdem speciei actum ipsam determinat; at vero a voluntate intellectus quantum ad exercitium movetur, quatenus ea omnes animae potentias, tamquam causa efficiens, ad agendum impellit. Itaque si consideretur voluntas in primo illo genere causae moralis, idest quatenus ad aliquod peculiare bonum expetendum ab intellectu moraliter impellitur, practico

(1) Cf. D. Thom. 1. p. q. 82. a. 4.

rationis judicio, quo bonum istud ei demonstretur, eamdem indigere, omnibus est perspicuum; sin autem in secundo genere, id est quatenus jam in actu finis appetitione, intellectum movet quantum ad exercitium, quod tunc ut potentia appetitiva quae ab objecto ratione demonstrato moveri debeat, non agit, sed ut causa efficiens, aliam potentiam impellens, idcirco practico rationis judicio planum est eam non indigere.

44. At oppones: Ex deliberatione tamquam ex proprio fonte oritur libertas, electio enim libera est ideo, quia deliberata: itaque nulla libertas esse potest, ubi nulla ponitur deliberatio. At vero actus electioni praeeuntes non ponuntur deliberati: igitur eos necessarios esse nemo negare poterit.

Respondeo difficultatem istam sine causa veram notionem libertatis judicii practici perturbare, quod quidem (ut saepius dictum est) ideo liberum dicitur, quod in voluntatis est potestate. Itaque actus electioni praeeuntes non ideo dicuntur liberi, quod deliberati sunt, sed quod voluntas arbitratu suo eosdem regit atque moderatur. Illud tamen falsum, ex deliberatione solummodo libertatem oriri; nam ex judicii indifferentia (ut in capite sequente latius dicetur) tamquam ex primo fonte ea defluit: qua ex re simplex quoque volitio finis libera est, si objectum sub eadem indifferentia sit propositum. Quod quidem ne aequivocationi locus pateat, paucis modo placet enucleare. Animadvertendum igitur, quatenus de voluntate sermo est, aliud esse actum libere emittere, atque ad eumdem deliberate se habere. Ad primum namque satis est, quod cum dominio atque indifferentia, saltem in exer-

citio, voluntas actum emittat, ita ut ad unum neque ex objecti meritis neque alia ex causa ea necessario moveatur. Ad secundum vero necesse est, ut voluntas ex consilio et deliberatione rationis procedat, ex aliquo priori actu in alium se reducens. Ea de re est illud doctissimi Goneti: " *Ut libere operetur* (voluntas), *sufficit quod ejus actus reguletur per judicium indifferens*; ut vero se moveat specialiter, necesse est ut illud judicium sit ex aliquo alio priori motu, quo intellectus applicetur ad consiliandum et judicandum (1). „ Infra vero idem subdit: " Quod voluntas se moveat in ratione principii applicantis se ad operationem (quod est movere se quoad exercitium) non est differentia actus liberi a necessario, *sed actus liberi perfecti tendentis in media, ab actu libero tendente in finem*: nam cum prior supponat alium actum voluntatis, scilicet volitionem finis, bene potest intelligi quod voluntas ex intentione finis seipsam applicet ad ea quae sunt ad finem. „ Quibus ex rebus absque negotio intelligitur, quid sibi velit, illud Thomae testimonium, quod quidem ab adversariis nobis perperam opponitur: " Homo est dominus suorum actuum et volendi, et non volendi propter deliberationem rationis, quae potest flecti ad unam par- vel ad aliam. Sed quod deliberet vel non deliberet, et si hujusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem praecedentem (2). „ Quibus verbis certe non negat Aquinas, consilium, seu deliberationem esse in manu voluntatis, quatenus scilicet finis appetitione posita, intellectum ad aptiora media inquirenda ea impellens, potest impulsione eadem ratio-

(1) De motiv. volunt. Disp. 5. a. 2. § 3. — (2) 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1.

nis judicium quo modo sibi lubet, immutare; immo id illis verbis aperte innuere videtur: *Quae* (deliberatio) *potest flecti ad unam partem vel ad aliam.* Illud solum igitur affirmat Thomas, quempiam deliberate se ad deliberationem, non habere, nisi alia praecedente deliberatione; qua quidem ex re, cum in infinitum ea procedere nequit, ad aliquod tandem principium a quo liberum arbitrium moveatur, deveniendum esse, idem colligit. Itaque nihil aliud eo testimonio is vult, nisi voluntatis dominium non esse supremum, sed alteri subordinatum, quam ob causam post verba supra producta mox subdit: " Et cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet a Deo, unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus quin indigeat moveri a Deo; et multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur a bono per corruptionem naturae „.

45. Dices praeterea: Secundum doctrinam quae proposita est, numquam ex necessitate voluntas eligit, quod ei judicio practico ab intellectu proponitur; dictum quippe fuit, eamdem judicium immutare semper posse, quum necessitas sequendi illud in eam ex peculiari bono ab intellectu demonstrato non existat, sed ex ejus natura, quae in incognitum ferri nequit. Porro autem Bellarminum pluribus in locis contrariam doctrinam aperte tradidisse nemo negare poterit: " Igitur (inquit doctissimus auctor) voluntas necessario eliget id, quod ultimum judicium practicum determinavit

esse eligendum (1) „. Atque ibidem in probationibus replicat: “ Si cum est judicium plane determinatum ad unum, voluntas possit aliud eligere, *aut illud non eligere*, nulla reddi poterit ratio, cur voluntas aliud non judicatum elegerit, *aut illud jam judicatum non elegerit* „. Demum difficultates exsolvens ait: “ Neque hinc sequitur posse voluntatem non operari praesente objecto proposito per ultimum judicium rationis, quia tunc non proponitur objectum nisi sub una ratione; ac proinde non datur locus amplius optioni. „ Quibus ex testimoniis in promptu est, Bellarminum apertissime tradere, quod ultimo rationis judicio ab intellectu voluntati proponitur, id eam ex necessitate eligere: quod tamen falsum probatum cum sit, libertatemque labefactare, clarissimus auctor liberum hominis arbitrium convellere videtur.

Verum quamquam Bellarminus palam enunciat voluntatem non posse non eligere peculiare bonum, sibi ultimo rationis judicio propositum, hominis tamen libertatem eum non convellere, iis ex rebus quae in locis citatis disputat, facile intelligitur. Tradit namque ibidem practicum judicium, in voluntatis potestate esse, propterea quod ab ea omnino pendet ut ultimum sit: qua quidem ex re pronum est colligere ultimum judicium esse in ejusdem manu. Id vero ex iis quae septimo argumento satisfaciens is dicit, quisque potest percipere: “ Voluntas in eligendo libera est, non quod non determinetur necessario a judicio ultimo et practico rationis; sed quoniam istud ipsum judicium ultimum et practicum in potestate voluntatis est. Sciendum est

(1) De. grat. et lib. arb. c. 8.

enim, post cognitionem boni in universum mox existere in voluntate inclinationem aliquam in illud, non tamen plenam electionem: deinde cum proponuntur a ratione varia media, et ostenditur quid boni et quid mali sit in unoquoque, voluntatem inclinari modo in unam partem, modo in aliam; et in ejus potestate esse, ut sinat se moveri, vel resistat, non quidem actu positivo, sed negativo, non sinendo videlicet se moveri. Per hoc enim quod voluntas sinit se moveri ab una ratione proposita, fit ut mens omissa alia inquisitione pergat et concludat judicium particulare, ad quod continuo sequitur electio. Itaque libertas voluntatis in eo proprie sita esse videtur, quod propositis variis rationibus non necessariis, sinat se moveri ab una et non ab alia. Atque hinc est quod Philosophus dicit, virtutes et vitia esse in nostra potestate, licet omnes appetant id quod bonum eis videtur, quia unusquisque sibi quodammodo causa est, ut hoc, aut illud sibi videatur. Ubi Philosophus ponit in nostra potestate virtutes, quia in nostra potestate sunt bonae electiones, ex quarum frequentatione generantur habitus: ipsas autem electiones ponit in nostra potestate, quia judicia, seu visiones, ad quas electiones sequuntur, sunt in nostra potestate (1). „ Eo praeclaro tetimonio citra ullum dubium planum fit, Bellarmini sententiam hac de re, eo modo quo ab ipso proponitur, hominis libertatem minime labefactare.

46. Denique oppones: Quàe de libertate practici judicii hactenus disputata sunt, ea sat aperte demonstrant, illud necessario voluntatem reapse non sequi; ea enim

(1) Loc. cit. c. 9.

illud semper immutare potest, nullaque vincitur necessitate objectum appetendi eo judicio sibi propositum; atque practicum judicium ipsum apte ultimum dici nequit, nisi ea illud excipiat. Itaque sine causa ponitur quaestio, num voluntas practicum rationis judicium ex necessitate sequatur? potius dicendum videtur, eam judicium istud non necessario, sed libere sequi, id est si, et quando ei libuerit.

Respondeo, quae de practici judicii libertate hactenus dicta sunt, ea non ostendere, voluntatem illud non sequi ex necessitate, sed illud solummodo non sequi ex necessitate absoluta et antecedente. Dictum quippe est, in voluntatis potestate esse, ut practicum judicium permaneat vel non permaneat idem, et tamen eam judicium semper sequi esse necesse; quae quidem res quamquam necessitatem antecedentem et absolutam excludunt, non tamen consequentem et hypotheticam. Itaque duplex necessitas est distinguenda, antecedens, quae et absoluta dicitur, et consequens, quae etiam dicitur hypotetica: prima est qua voluntas judidicium consequitur, quod in ejus potestate non est, ut puta in amentibus; altera vero, qua voluntas sequitur judicium, quod eadem ipsa vult libere permanere. Porro autem antecedentem necessitatem libertatem convellere, ea omnia evincunt, quae de practici judicii libertate hactenus dicta sunt; secundam vero ei non obesse, praeterquamquod in capite quinto aperte est demonstratum, praeterea ex eo facile potest intelligi, quod necessitas istaec ex ipsa defluit voluntate. Itaque cum his de rebus sermo instituitur, ut omnis aequivocatio amoveatur, neque voluntatem practicum rationis judicium ex necessitate non sequi, neque istam

hoc sequi ex necessitate, est dicendum; sed potius proposita distinctione adhibita, affirmandum est, voluntatem judicium istud non sequi ex necessitate antecedente, seu absoluta, sequi vero ex necessitate consequente, seu hypothetica. Istam autem distinctionem non recentem esse, viris doctis, tum philosophis, tum theologis, sat compertum est. Billuart, rerum theologicarum in primis peritus, sibi illam proponens difficultatem: " Voluntas non sequitur necessario judicium practicum, alioquin non maneret libera; ergo illo stante potest quod voluerit eligere „, respondet: " Voluntas non sequitur necessario judicium practicum, necessitate absoluta et antecedente, *concedo*; necessitate hypothetica et consequente, *nego*. Ex suppositione enim quod voluntas libere velit permanere hoc judicium, quod mutare potest, necessitatur illud sequi; sed ista necessitas, cum ab ipsa voluntate descendat, non officit ejus libertati. Unde facta illa suppositione voluntas potest aliud eligere, in sensu diviso, non in sensu composito, quia non potest simul stare judicium practicum de meliori bono cum electione minoris (1). „ Sine causa vero non instituitur disputatio de necessario nexu electionem inter et ultimum rationis judicium; non solum quia id est voluntatis naturam investigare, quae appetitus rationalis cum sit, intellectus judicium sequi debet; sed etiam, et multo magis, quia hac quaestione male exsoluta, in grave discrimen adduci poterit hominis libertas, ut ex difficultatibus in hoc eodem capite propositis, jam facile quisque perspicit.

(1) De act. hum. Diss. 3. a. 6. § 4.

CAPUT VIII.

De causa externa libertatis creatae.

47. Externam causam libertatis, tum actualis tum potentialis, Deum esse, Thomae doctrina statuitur. — 48. Prima difficultas ex libertatis laesione deducta, proponitur et enucleatur. — 49 In medium adducitur, profligaturque difficultas altera. — 50. Evincitur Thomae rationibus, contradictionem involvere, ex necessitate moveri voluntatem, judicii indifferentia permanente. — 51. Prima difficultas evolvitur. — 52. Proponitur et enodatur difficultas altera.

47. Quae ad liberum arbitrium spectant paucis jam delibavimus, sed antequam ad quaestionem phisicae praemotionis dirimendam animum adjiciamus, externa libertatis causa est investiganda. Libertas enim non est ens a se, sed ab alio; quapropter Deus ejusdem causa atque conditor, quemadmodum cujuslibet rei, necessario est dicendus. Duo vero in hoc capite proponentur, statuenturque invincibiliter, Thomae doctrina; primo (ut jam innui) libertatis non modo potentialis verum etiam actualis Deum esse causam; deinde ne eam ob rem periclitari libertas ipsa videatur, contradictionem involvere, voluntatem a Deo ex necessitate moveri ad agendum, indifferentia judicii rationis permanente. Imprimis autem Deum libertatis causam esse facili ratiocinatione, e Thoma derivata, potest

suaderi. Etenim libertas cum potentialis tum actualis est modus atque perfectio spiritualis substantiae ejusdemque operationum; quod quidem cum perspicuum sit, probatione non eget; porro autem Deus causa est totius entis, id est tum entis, tum omnium modorum ejus; quod enim is causa est summe efficax, causaque efficacissima effectum non modo quantum ad substantiam, verum etiam quantum ad omnes ejusdem modos attingit, idcirco ens ejusque modos eum attingere est necesse. Itaque quoniam libertas non modo potentialis verum etiam actualis est modus et perfectio entis, Deus ejusdem causa est dicendus. Ea de re est illud praeclarum Aquinatis: " Cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi: ex debilitate enim virtutis activae in semine contingit quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quae pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter (1). „ Quibus verbis perspicuum est, ex divina voluntate, tamquam ex causa efficacissima, hominis libertatem Thomam deducere. Eam vero doctrinam saepissime is replicat, sed ne hac in re nimius sim, aliud solummodo testimonium de medio sumam: " Dicendum quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturae ipsius (2) „.

(1) 1. p. q. 19. a. 8. Vide 1. Perhierm. l. 14. -- (2) 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1.

48. Sed oppones: Externam causam libertatis praecipue actualis, asserere, profecto est repugnantia dicere; liberam enim voluntatis operationem, seu determinationem, ab interiore principio defluere est necesse; nam voluntaria esse debet, voluntarium vero a scholasticis communiter definitur: *Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis.* Quod quidem e contrariis facilius percipitur; libera enim operatio ab externa causa si procedat, violenta potiusquam voluntaria est dicenda; quippe quia violentum cum Aristotele vel Thomistae definiunt: *Id cujus principium est extra.*

Verum difficultas ista facile profligatur; libera enim operatio a voluntate, tamquam ab interiori principio, defluit; sed id tamen haud impedit, quominus ab alio externo principio, scilicet a Deo, tamquam a prima causa, proficiscatur, ita ut ad eumdem actus actusque libertas referantur. Qua profecto de re est illud praeclarum nostri Doctoris: " De ratione voluntarii est quod principium ejus sit intra; sed non oportet quod hoc principium intrinsecum sit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntarius etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra, sicut et primum principium motus naturalis est ab extra, quod scilicet movet naturam (1)." De eo vero quod additur, operationem ab exteriori principio defluentem, violentam potiusquam voluntariam esse dicendam, est illud Thomae: " Non sufficit ad rationem violenti, quod principium sit extra; sed oportet addere quod nihil conferat vim patiens: quod non contingit dum voluntas ab exteriori movetur:

(1) Ibid. q. 9. a. 4. ad 1.

nam ipsa est quae vult, ab alio tamen mota. Esset autem motus iste violentus, si esset contrarius motui voluntatis: quod in proposito esse non potest, quia sic idem vellet, et non vellet (1). „ Quibus ex verbis omnibus in promptu est, liberam voluntatis operationem duplex principium a quo ea defluat, habere, interius atque exterius, id est ipsam voluntatem eamdem et Deum, a quo proinde tamquam a causa libertas existit; neque id obesse libertati, propterea quod motio Dei motui voluntatis non est contraria.

49. Instabis: Doctrina quae proposita est, hominis libertatem omnino convellere videtur; ut enim voluntatis operatio vere sit libera, satis non est, quod ab interiori principio absque violentia ea proficiscatur; sed praeterea necesse est, eam a principio defluere, quod causa sit sui motus, sine dependentia ab alia causa. Etenim liberum (ut saepe replicat Aquinas) dicitur id quod est causa sui; qua ex re si ponatur, Deum causam esse actionis liberae, seu motus voluntatis, etsi huic nulla vis inferri dicatur, tamen libertatem convelli nemo non videt.

Respondeo, liberum arbitrium, seu voluntatem, esse vere causam sui motus, id est suae liberae operationis; et tamen id nullo modo impedire, quominus ejusdem operationis, Deus vere causa dicatur; illud enim causa secunda est, huic, ut primae causae, subordinata. Itaque illud ab adversariis serio animo ponderandum, ad libertatis rationem haud pertinere, ut liberum sit prima causa sui, seu primum movens, aut primum determinans; immo id ejus rationi causae secundae

(1) Loc. cit. ad 2.

omnino repugnare, quippe quia (ut Thomas ait) quod a se esse non habet, ex se agere nequit. Ea de re est illud insigne nostri Doctoris, quod adversariorum objecta penitus diluit: " Dicendum quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum: non tamen hoc est de necessitate libertatis quod sit prima causa sui id quod liberum est: sicut nec ad hoc quod aliquod sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias; et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariae; sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem (1). „ Quibus ex verbis non modo adversariorum difficultas dilucide enucleatur, verum etiam thesis statuta egregie firmatur; duo enim Aquinas aperte palamque enunciat, primum divinam motionem libertati non opponi, deinde istam hujus esse causam: " Sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. „

50. Verum ut hac de re omne prorsus dubium auferatur, evincendum modo est (ut erat propositum) Thomae rationibus, omnino contradictionem involvere, voluntatem ad unum ex necessitate moveri, judicii indifferentia permanente. Hic, ut patet, phisica praemotio, quae quidem controversa est, pro certa sumitur; sermo est enim de phisica Dei motione, efficaci ac infallibili; asseriturque, ea quoque posita, impossibile

(1) 1 p. q. 83. a. 1. ad 3.

esse, voluntatem ad unum moveri necessario, manente judicii indifferentia. Eam vero doctrinam omnem difficultatem de rebus hactenus disputatis profligare, nemo non videt; si ponatur enim Dei motionem, efficacem, infallibilemque voluntatem ad unum ex necessitate movere non posse, posita judicii indifferentia, facili negotio intelligetur Deum, ut primum movens, liberam voluntatis operationem efficientem libertatem non convellere, immo eam facere. Evincitur autem doctrina proposita facili ratiocinatione; jam enim in promptu est iis ex rebus, quae supra de necessario nexu inter practicum judicium et electionem disputatae sunt, nihil voluntatem posse velle absque praecedente rationis judicio. Quod quidem ex eo aperte colligitur, quod ea appetitus sit rationalis, cujus proinde objectum bonum est mente apprehensum, ut saepius dictum est: ex quo fit, eamdem procul dubio sine objecto agere, si absque praecedente rationis judicio aliquid velit, quod est absurdum. Eaque de re est illud Aquinatis: “ Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur (1). „ Porro autem judicii indifferentia posita, si ad agendum voluntas ex necessitate moveretur, absque praecedente rationis judicio aliquid profecto vellet; non enim judicium ea sequeretur, quod ei objectum sub indifferentia demonstrat, nam, ut hic pro certo assumitur, libere, seu indifferenter objectum istud non prosequeretur, sed necessario: aliud vero judicium quod objectum ex necessitate appetendum proponat, ponitur

(1) Q. 24- de verit. a. 2.

abesse. Itaque judicii indifferentia permanente, contradictionem involvit, voluntatem ad unum necessario moveri: et quemadmodum impossibile est, intellectum necessario objecto adhaerere, quod incertum esse cognoscit; ita profecto fieri nequit, voluntatem ex necessitate objectum expetere, quod sub judicii indifferentia ei demonstratur. Quod quidem, etsi planum sit, alia tamen ratiocinatione placet comprobare: Aquinatis enim verbis supra productis; " Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet, „ ex dialecticae praeceptis sequens argumentum struitur. Quo modo erga objectum se habet intellectus, eo erga illud se habet voluntas; nam libertatis modus modum cognitionis consequitur. Atqui indifferenter erga objectum se habet intellectus, judicii indifferentia permanente: ergo ea posita aut voluntas cognitionem non sequetur, aut indifferenter, id est libere, se habebit erga illud. Quibus quidem ex rebus atque rationibus omnibus in promptu est, nullam Dei motionem, quamquam efficacissimam ac infallibilem, hominis libertatem posse convellere, quoad judicii indifferentia permaneat.

51. Sed dices: Plane ridiculum videtur, Deum ex necessitate movere voluntatem non posse, et tamen eam sic posse movere, ut ejus libertati non noceat. Hujus enim rei intelligentiam difficulter consequimur; et tamen quisque facile percipit, Deum necessitatem inferre voluntati, eam ad agendum impellendo. Praeterea si statuatur, Deum hominis voluntatem judicii indifferentia permanente, saltem de potentia absoluta, immutare non posse, ex ejusdem omnipotentia profecto derogatur. His ex rebus omnino colligendum videtur, nullam contradictionem involvere, voluntatem a Deo

ex necessitate ad objectum moveri, sibi sub judicii indifferentia propositum.

Verum cum quis animo contemplatur, facile reperit, nullam in eo esse contradictionem, quod Deus moveat ex necessitate voluntatem, ab ea judicii indifferentiam tollendo; at id rectae rationi repugnare, eadem indifferentia permanente. Voluntas enim (ut jam dictum est) appetitus est rationalis, qui in bonum non fertur nisi quo modo ab intellectu proponitur: quapropter si objectum sub indifferentia propositum sit, ea necessario ferri in illud nequit, nisi appetitus rationalis esse desinat. Quod quidem planum est, facilique negotio percipitur; at contrarium ne concipi quidem mente potest, nisi dicatur, contra Thomae doctrinam, libertatem non manare ex indifferentia judicii. De eo vero quod additur, ex divina omnipotentia detrahi, si statuatur, Deum hominis voluntatem immutare non posse, judicii indifferentia manente, nulla est difficultas. Etenim aliud est, efficaciter hominis voluntatem immutare, atque eamdem ex necessitate movere: primum certe Deus potest, judicii quoque indifferentia permanente, quum ea in re nulla sit contradictio; at secundum fieri profecto nequit, nam ea ex re sequeretur, voluntatem esse et non esse rationalem appetitum, quod quidem apertam contradictionem involvit, communique sensui repugnat. Id vero ex Dei omnipotentia non derogare, ex eo facile intelligitur, quod *idem simul esse et non esse*, nequit fieri.

52. Instabis: Voluntas est intrinsecus libera, objectiva vero judicii indifferentia in ea intrinsecus minime reperitur; qua ex re sequens argumentum conficitur. Ut ex necessitate moveatur voluntas, satis superque

est, quod ea intrinsecus immutetur; sed judicii quoque indifferentia manente, ea intrinsecus immutari a Deo potest, uti jam supra dictum est: igitur ex necesssitate a Deo potest moveri, eadem indifferentia permanente.

Respondeo, equidem voluntatem intrinsecus esse liberam, sed istam libertatem ipsam ex judicii indifferentia, tamquam ex proprio fonte, in eamdem manare. Objectiva enim judicii indifferentia radix est indifferentiae subjectivae voluntatis, in qua est formaliter sita libertas. His de rebus ut voluntas ex necessitate moveatur, satis non est, quod ea immutetur intrinsecus; sed omnino est necesse, judicii indifferentiam convelli, ea enim manente, voluntas, quae appetitus est rationalis, non nisi libere in objectum potest ferri. Eam ob rem optimo jure judicii indifferentia libertatem arbitrii Aquinas evincit: “ Ratio circa contingentia habet viam ad opposita, ut patet in dialecticis syllogismis et rhetoricis persuasionibus. Particularia autem operabilia sunt quaedam contingentia; et ideo circa ea judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum. Et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso quod rationalis est (1). „ Eadem ratione a doctissimo Bellarmino liberi arbitrii dogma contra haereticos egregie stabilitur: “ Quinta ratio ducitur ab ipsa rei natura; talis est enim in unaquaque re modus appetendi, qualis est cognoscendi; appetitio enim cognitionem sequitur, nec fieri potest, ut quis appetat rem incognitam. In hominibus autem est cognitio finis et mediorum ad finem,

(1) 1. p. q. 83. a. 1.

tum necessariorum, tum etiam contingentium: igitur hominum appetitio ex necessitate fertur in finem, et in ea media quae sunt cum fine ex necessitate connexa: in alia vero nonnisi contingenter. Atqui hoc est, hominem esse liberum libertate contingentiae, posse videlicet accipere vel rejicere ea media, quae ratio docet non necessario cum fine esse connexa (1). „ Quibus verbis, ut quisque maxime perspicit, ex eo quod, quantum ad media quae ultimo fini necessario non connectuntur, indifferens est judicium, libertatem contingentiae, seu indifferentiae, clarissimus auctor deducit. De iis quae ad libertatem spectant satis dictum est.

(1) De grat. et lib. arb. L. 4. c. 10.

CAPUT IX.

Notiones de divina motione seu praemotione.

53. Quod in disceptationem venit generatim exponitur; et motio moralis explicatur. — 54. Demonstratur quid sit simultaneus Dei influxus, seu concursus. — 55. Praemotionis natura explanatur; eamque invincibiliter comprobatur, phisicam motionem solummodo esse appellandam. — 56. Plura discrimina inter triplicem Dei influxum recensentur; moralemque motionem, atque concursum ab omnibus probari demonstratur. — 57. Concursus tamen eodem sensu a Thomistis non admittitur, quo ab adversariis phisicae praemotionis. — 58. Quaestionis status praefinitur, quid evincendum sit constituendo.

53. Traditur generatim a Thomae discipulis, Deum rebus creatis non modo dedisse potentias activas, easque conservare, verum etiam easdem ad agendum impellere, id est operationi jungere, seu applicare; quae quidem impulsio, seu applicatio, quod praevia est atque phisica, ideo phisica praemotio, aut praedeterminatio, consuevit dici. Verum quod ea doctrina magnum disputationi argumentum concessit, nonnullis contendentibus eamdem Thomam tradidisse, aliis vero id negantibus, idcirco, ut quaestio haec dirimatur (ut est propositum) omnino necesse est, quod in disceptationem venit imprimis exponere. Itaque primum Thomistae illud asserunt, Deum causis secundis dedisse potentias

activas, easque conservare; sed ea res a catholicis philosophis in contentionem non adducitur. Deinde traditur ab iisdem, aliquo Dei influxu, ut agant, causas secundas egere; qua quidem in re omnes consentiunt; at qui sit iste influxus, Thomistas inter et Molinistas decertatur. Isti enim asseverant, quamdam eum esse phisicam Dei motionem, qua potentiae activae rerum creatarum operationi junguntur, quae motio (ut dictum est) praemotio nuncupatur; hi vero contendunt, ea motione res creatas non indigere, sed solummodo concursu quodam, qui nihil aliud sit, nisi simultanea quaedam externaque cooperatio. Attamen illud notandum, eos non abnuere, immo aperte enunciare, Deum motione quoque praevia causas secundas ad agendum impellere, dummodo ne phisica ea sit, sed moralis. Itaque tria sunt explicanda, motio phisica, motio moralis et concursus: prima quamquam praemotio dicitur, tamen solummodo motio est dicenda, ut infra evincetur; secunda vero pari jure ac prima praemotio moralis posset nuncupari; denique tertium, qui concursus simultaneus dici consuevit, solummodo concursum esse dicendum, ex ejusdem explanatione facile intelligetur. Iste autem triplex influxus, quatenus voluntatem respicit, praecipue est considerandus; illud enim propositum mihi non fuit, directe de aliis potentiis sermonem habere. His rebus praenotatis, a motione morali initium petatur, qua quidem tum Deus voluntatem movere dicitur, cum ei bonitatem quae in objecto est, demonstrat, eamdem ad agendum alliciens, seu invitans. Ad eam motionem exponendam, illud Augustini communiter effertur: “ Ramum viridem ostendis

ovi et trahis illam. Nuces puero demostratur, et trahitur (1); „ ac illud Poetae:

" . . . . . . Trahit sua quemque voluptas. „

Iis ex rebus jam facile intelligitur, istam Dei motionem voluntatem immediate non respicere; nihil enim reale et phisicum in ea ponit, eamque phisice haud attingit, sed moraliter solummodo, eamdem ad operationem allectans. Itaque planum est, eam ad intellectum spectare, quatenus eo objecti bonitatem Deus voluntati demonstrans, hanc ad agendum allicit; quam ob causam motio cum moralis tum objectiva consuevit dici.

54. Concursus autem est influxus quidam, quo Deus cum causa secunda agit, seu aliquem effectum cum ea gignit. Eo influxu Deus in causa non agit, sed cum ipsa; atque divina operatio causae creatae operationem comitátur, ad eumdem effectum edendum. Itaque perspicuum est concursum operationi voluntatem non applicare; quod enim in ea is non recipitur, sed potius in effectu, neque ut ea agat, efficit, sed cum ipsa agit, idcirco eamdem intrinsecus immutare, operationique jungere nequit. Verum quoniam permagni interest, nullo hac de re errore teneri, concursus definitionem, quae a claro Tongiorgio proponitur, placet efferre: " Est aliquid quod causae secundae actionem comitatur, et ipsum se habens per modum actionis, qua divina virtus una cum creatura agit, ad eumdemque terminum immediate tendit, ad quem tendit creaturae actio. Ad eum fere modum quo binae causae partiales

(1) Tract. 26. in Joan.

cooperantes, v. g. duo homines aliquid fune trahentes, non ita cooperantur alter alteri, ut alter in alterum agat, sed ita ut uterque in eumdem effectum, immediate influat. Ita quoque causa prima et secunda ita simul operantur, ut in unum eumdemque effectum, immediate, tamquam ad terminum actionis, tendant (1). „ Non secus ac Tongiorgius ipse Molina loquitur, qui exemplum profert in medium duorum hominum, navim trahentium, quorum motus non totus ab unoquoque, sed partim ab uno et partim ab altero proficiscatur, tamquam a duabus causis partialibus. Quibus quidem ex rebus haud difficulter intelligi potest, influxum istum apte congruenterque concursum, perperam vero simultaneum nuncupari; quippe quia concursus dici nequit, nisi influxus sit simultaneus: praeterea omnino nefas esse, eum motionem appellare; non enim causam movet, aut impellit, sed ei solummodo cooperatur, ad eumdem effectum producendum.

55. Motio denique phisica, de qua praecipue disputatur, potest generatim definiri: Applicatio potentiae activae ad suam operationem. Attamen ut undequaque ea perspecta habeatur, peculiarem ejus definitionem, quae a Thomistis traditur, in medium proferre lubet: "Phisica motio et realis, a Deo procedens, causae creatae transeunter impressa, prioritate naturae praecedens ipsius operationem, eamdemque causam creatam constituens in ratione principii actualis, et efficaciter applicans ad operandum conformiter naturae ipsius (2). „ Qua ex definitione pronum est colligere, influxum istum causae

(1) Inst. Phil. L. 4. c. 2. a. 3. — (2) Cf. Instit. Philosoph. ad mentem Angel. D. S. Thomae Aquinatis. Theol. natural. q. 7. a. 3.

secundae non cooperari; sed potius eam movere, impellere, determinare, applicare ad agendum, eam intrinsecus immutando. Itaque is effectum immediate non respicit, quemadmodum concursus, seu influxus simultaneus; sed causam effectum edentem, quam efficaciter ac infallibiliter ad agendum impellit, servato modo ejus naturae. His de causis phisica motio, quatenus voluntatem respicit, nihil est aliud, nisi impulsio, seu applicatio, ad agendum, consensum ejusdem efficiens, ac praecedens prioritate naturae: quam ob rem praemotio phisica, ut dictum est, appellari consuevit. Attamen, ut jam innui, solummodo motio est dicenda; movere enim praemovere est, propterea quod moventis motio motum mobilis prioritate naturae praecedit, seu (ut est apud Aristotelem) *movens natura prius est moto.* Quam ob causam ipse Doctor noster, cujus mens hac de re investigatur, aperte palamque enunciat, moventis motionem praecedere mobilis motum prioritate rationis et prioritate causalitatis: " Motio autem moventis, praecedit motum mobilis ratione et causa (1). „ Quae profecto veritas diligentius est perpendenda; ex ea namque aperte colligitur, toties Deum praemovere voluntatem ad agendum, Aquinatem asseverare, quoties eum ipsam movere dicit: non enim ejus aetate ita hac de re disceptabatur, ut verborum significationi tenebras offundere esset necesse, motionemque praemotionem appellare.

56. Exposita natura influxus simultanei, id est concursus, motionis moralis atque phisicae, facili negotio eorum inter se discrimina recensentur. Ex dictis enim

(1) III. Cont. Gent. c. 149.

omnibus in promptu est, motionem moralem ad agendum solummodo allicere, seu invitare; motionem phisicam intrinsecus et active ad operationem applicare; atque influxum simultaneum, id est concursum, agenti solum cooperari. Ex quo fit, moralem motionem causam movere objective, seu quo modo finis movet; phisicam motionem, effective, seu quo modo movet agens; concursum vero causam non movere, sed eidem cooperari. Quaestio autem quae Thomae testimoniis est dirimenda, motionem moralem non respicit; omnibus enim est exploratum, non modo Deum, verum etiam Angelos, cum bonos, tum malos, eo modo hominis voluntatem posse movere. Neque influxus simultaneus, seu concursus, in contentionem adducitur; omnes enim tum Molinistae tum Thomistae admittendum esse consentiunt. Et certe omnia quae in natura fiunt, a Deo, ut prima causa, attingi est necesse, quin ratio causae secundorum agentium excludatur; at vero in aliquem effectum Deum immediate non influere si statuatur, rationem primae causae in eo integram servari non posse est perspicuum. Itaque super phisicam motionem, seu applicationem omnium potentiarum activarum ad operationem, etiam concursus est admittendus, quo Deus immediate influat in effectum, eum sub altiori quadam formalitate attingens, dum a causa secunda attingitur sub formalitate sibi propria.

57. Verum illum animadvertendum, non eodem sensu concursum a Thomistis admitti, atque ab adversariis phisicae motionis; hi enim contendunt (ut jam patet ex dictis) eum esse influxum quemdam partialem, insufficientem, et quodam modo dependentem a causa secunda; isti vero eum ita expositum, ut non

necessarium ac plane indignum qui Deo tribuatur, omnino rejiciunt. Itaque Thomistae tradunt, Deum, ut primam causam, totum effectum attingere, quod nulla res ejus causalitatem potest effugere; ex quo fit, concursum, seu influxum simultaneum, quo is effectum attingit, sufficientem esse atque totalem in suo ordine. Ea de re est illud praeclarum Aquinatis: " Patet autem quod non sic idem effectus causae naturali, et divinae virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus „ (1). Neque ii probant, Dei concursum a causa secunda, cui cooperatur, dependere; quamquam enim divinus influxus absque causa secunda effectum gignere potest, non ideo tamen eum cum secunda edit, quod hujus auxilio indiget; id enim potius ex quadam abundantia contingit divinae bonitatis, ex qua virtus activa defluit in res creatas. Ea de causa noster Doctor loco citato ait: " Neque est superfluum, si Deus per se ipsum potest omnes effectus producere, quod per quasdam alias causas producantur: non enim hoc est ex insufficientia divinae virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus creatis communicare voluit, non solum quantum ad hoc quod essent, sed etiam quantum ad hoc quod aliorum causae essent: his enim duobus modis creaturae communiter omnes divinam similitudinem consequuntur, ut ostensum est. Per hoc etiam decor in rebus creatis apparet. „ Ex quo praeclaro testimonio profecto intelligitur, Dei concur-

(1) III. Cont. Gent. c. 70.

sum, seu influxum simultaneum, tum partialem tum a creatura dependentem, quo modo ab adversariis phisicae motionis admittitur, menti Doctoris Angelici omnino repugnare.

58. Sed major est difficultas (ut jam dictum est) de phisica motione. Nonnulli enim clari philosophi, qui eamdem acriter oppugnant, ne hac de re magni Aquinatis doctrinam deserere videantur, eum illam nunquam docuisse buccinant; alii vero, id est Thomistae, contrariam sententiam ardenti studio tuentur; ex quo fit quosdam illorum, alios vero horum partes nimis inflammato studio defendere, certe non sine scientiae detrimento. Cui quidem disceptationi Thomae testimoniis (ut propositum est) finem impositurus, ut quod in capitibus consequentibus est evincendum, id clare atque dilucide imprimis constituam, omnino est necesse. Itaque illa est propositio, cujus doctrinam Aquinatem tradidisse, a Thomistis asseritur: *Deus non modo dedit causis creatis virtutes, seu potentias, activas, easque conservat, verum etiam easdem causas ad agendum applicat, seu phisice movet, et cum eis ad operationem concurrit.* In qua propositione tria enunciantur: primum Deum virtutes activas omnium creaturarum condidisse et conservare; in qua re evincenda immorandum non est, propterea quod ab omnibus catholicis philosophis, ut dictum est, ea probatur. Deinde Deum causas secundas ad agendum applicare, id est eorum potentias activas operationi jungere. Denique cum iisdem ad operationem concurrere influxu simultaneo, qui certe in disceptationem cadere nequit, quum (ut jam dictum est) quo modo a Thomistis exponitur, ab Aquinate aperte tradatur. Itaque tota difficultas est

de phisica motione, seu de applicatione potentiarum activarum ad earum operationes; quapropter ea solum de re Thomae mens est perquirenda. Quamquam vero praecipue quatenus voluntatem respicit, (ut supra dictum est) phisica motio consideratur; iis tamen ex rebus quae disputabuntur, ac ex Thomae testimoniis, facili negotio intelligetur, Deum omnem creaturam suam phisice ad operationem movere, secundum illud praeclarum Augustini: " Movet itaque (*Deus*) occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus et diversis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui justos exercere permittuntur, explicat saecula, quae illi cum primum condita est (*scilicet universa creatura*) tamquam plicita indiderat: quae tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret „ (1).

(1) De Genesi ad litt. lib. 5. c. 20.

CAPUT X.

Mens D. Thomae aperitur.

59. Thomam tradidisse, Deum rebus creatis dedisse et conservare potentias activas, imprimis demonstatur. — 60. Proponitur primum Aquinatis testimonium de phisica praemotione. — 61. Prima difficultas adversus allatum testimonium exsolvitur. — 62. Profligatur difficultas altera. — 63. Testimonium productum phisicae praemotionis doctrinam aperte enunciare, ipse Suarezius fatetur. — 64. Recens difficultas contra phisicam praemotionem in medium profertur. — 65. Eidem difficultati respondetur.

59. Quamquam necesse non est, de collatione et conservatione potentiarum activarum sermonem habere; quod (ut jam dictum est) nulla ea de re inter philosophos catholicos est disceptatio; attamen ut majore claritate ea percipiantur, quae ad phisicam motionem evincendam ex Aquinate in medium proferenda sunt, ejusdem Sancti Doctoris sapientiam eadem de re imprimis pandere placet. Utriusque enim rei doctrinam, in quaestione tertia de potentia, is diserte tradit; primum tamen et collationis et conservationis, postea vero phisicae motionis, seu praemotionis; et certe eo sensu quo ab ejus discipulis intelligitur, ut tum ex capite presente, tum ex sequentibus facile colligetur. In quae-

stione itaque jam citata (1) imprimis statuit Aquinas, Deum operari in natura et in voluntate, quin earumdem operationes excludat: “Dicendum quod simpliciter concedendum est, Deum operari in natura et voluntate operantibus.„ Eam tamen veritatem nonnulli impugnarunt: “Sed quidam hoc non intelligentes, in errorem inciderunt; attribuentes Deo hoc modo omnem naturae operationem, quod res penitus naturalis nihil ageret per virtutem propriam„; quorum proinde sententiam rejicit Thomas, tamquam rationi repugnantem, qua (ut is ait) ostenditur, in rebus naturalibus nihil esse frustra. Postea subdit: “Nisi autem res naturales aliquid agerent, frustra essent eis formae et virtutes naturales collatae; sicut si cultellus non incideret, frustra haberet acumen. Non ergo sic est intelligendum quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur; sed quia in ipsa natura vel voluntate operante Deus operatur: quod quidem qualiter intelligi possit ostendendum est.„ His rebus statutis ad demonstrandum, quo sensu Deus in natura et voluntate operari dicatur, varii modi quibus ipse cujuslibet actionis causa dici potest, a nostro Doctore recensentur. Atque imprimis illud asserit, exponitque dilucide, Deum causam esse operationum omnium rerum creatarum, propterea quod rebus omnibus ipse potentias activas dedit, easque conservat: “Sciendum est quod actionis alicujus rei res alia potest dici causa multipliciter. Uno modo quia tribuit ei virtutem operandi, ... et hoc modo Deus agit

(1) Q. 3. De potent. a. 7., ad quem spectant omnia Thomae testimonia, quae in hoc capite in medium proferuntur.

omnes actiones naturae, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt, non solum sicut generans virtutem tribuit gravi et levi, et eam ulterius non conservat, sed sicut continue tenens virtutem in esse, quia est causa virtutis collatae non solum quantum ad fieri, sicut generans, sed etiam quantum ad esse, ut sic possit dici Deus causa actionis, in quantum causat et conservat virtutem naturalem in esse. „ Quod quidem praeclarum testimonium Thomae mentem tum de collatione tum de conservatione potentiarum activarum patefacit.

60. Verum ea de re nulla est (ut jam dictum fuit) inter catholicos philosophos disceptatio; qui omnes profecto probant, Deum potentias activas condidisse et conservare; easdemque solummodo eum operationi jungere non consentiunt. Quam ob rem prima illa quaestione missa, ad Thomae mentem de secunda aperiendam, primum ejusdem praeclarum testimonium in medium profertur. Itaque post verba supra producta, subdit Aquinas: “ Sed quia nulla res per seipsam movet vel agit nisi sit movens non motum; tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius inquantum movet eam ad agendum. In quo *non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem;* sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso *quod applicat acumen cultelli ad incidendum* movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota, . . . sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujus libet rei naturalis ut *movens et applicans virtutem ad agendum* . . . . Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti: et hoc modo

etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis „. Quapropter noster Doctor disputata concludens, ait: “ Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, *in quantum dat virtutem agendi, et inquantum conservat eam, et inquantum applicat actioni,* et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit „. Quibus ex verbis omnibus profecto in promptu est, S. Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, aperte palamque enunciasse, non modo Deum rebus creatis potentias activas, seu (ut is ait) virtutes agendi, dedisse, easdemque conservare, verum etiam eas operationi jungere, seu applicare; quae quidem applicatio phisica motio, seu praemotio, consuevit dici: “ Deus est causa actionis in quantum dat virtutem agendi, in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni „. Post testimonium autem productum, articulum Thomas concludens, in quo inquirere proposuerat, num Deus in quolibet operante operetur, asseverat, propterea quod Deus est sua virtus, ac intus in quavis re, ut eam tenens in esse, reperitur, consequi ex dictis, eum in omni operante immediate operari: “ Et cum conjunxerimus his quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediate, operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae „.

61. Antequam vero alia Aquinatis testimonia in medium adducantur, quoniam quod produxi, de quaestione tertia de potentia sumptum est, nonnullas difficultates placet enucleare, quae doctrina, quam in quaestione eadem Thomas proponit, profligantur. Imprimis autem illa in medio ponatur, qua nuperrime

adversarius quidam phisicae motionis, hujus doctrinam numquam Thomam tradidisse, evincere conatus est. Is enim asseverat, nostrum Doctorem actum primum, seu potentiam, ab actu secundo, seu operatione, haud distinguere, eumdemque nullibi dicere, istum a Deo huic jungi, seu applicari. Quam ob causam cum Thomas dicit, Deum hominis voluntatem ad operationem movere, id sic esse intelligendum, ut inclinationem naturalem ad agendum Deus voluntati dederit. Quod quidem quam absurdum sit, ac a Thomae mente alienum, ex iis quae dicta sunt jam potest intelligi; Aquinas enim in testimonio producto eam distinctionem apertissime enunciat: " Dicitur una res esse causa actionis alterius *inquantum movet eam. In quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem* „. Quibus verbis actum primum ab actu secundo eum distinguere; adversariorumque interpretationem rejicientem, istum huic a Deo applicari, aperte docere, est perspicuum. Praeterea distinctionem eamdem replicat, difficultates exsolvens; cum aliud esse affirmat, inclinationem ad agendum, seu virtutem naturalem, rebus in naturae institutione collatam, aliud id quod Deus facit, ut eam virtutem actui secundo conjungat: " Dicendum (inquit) quod *virtus naturalis quae est rebus naturalibus in sua institutione collata,* inest eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id *quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat,* est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis. „

62. Sed fortasse dixerit quispiam, de aliis potentiis naturalibus, non tamen de voluntate Thomam

fuisse loquutum; ea enim ex re quam maxima sequerentur incommoda. Et 1° si ab externo agente ad actum movetur voluntas, eumdem emittere ea cogetur, quod quidem ejus libertatem convellere est perspicuum. 2° In voluntate est suorum actuum sita potestas, seu ea est suarum operationum domina atque regina, quod tamen non esset, si ea non ex se, sed ab alio ad agendum determinaretur. 3° Deus dicitur in manu consilii sui hominem reliquisse, at qui esse potest homo in manu consilii sui, si ad actus suos movetur a Deo? Itaque etsi ponatur, in quaestione citata Thomam de aliis potentiis naturalibus loquutum fuisse, id tamen quod ad voluntatem spectat, nequit admitti.

Verum istas difficultates in eadem quaestione Thomas exsolvit; ex quo satis leviter intelligi potest, non modo de aliis potentiis naturalibus, verum etiam de ipsa voluntate eadem, eum in quaestione producta fuisse loquutum. Itaque primam difficultatem Thomas profligat, asseverando, Deum causam esse, at non cogentem, liberae operationis nostrae: " Dicendum (inquit) quod non quaelibet causa excludit libertatem, sed solum causa cogens: sic autem Deus non est causa operationis nostrae." Deinde secundam exsolvens dicit, voluntatis dominium in suos actus Dei operationem non excludere, sed id solummodo, quod ea ex necessitate moveatur ad agendum, quo modo natura movetur; quod tamen in voluntate, posita judicii indifferentia, fieri nequit, ut jam alibi probatum est: " Dicendum quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causae primae, sed quia prima causa non ita agit in voluntate ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo

determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis. „ Tandem tertiam difficultatem enucleat, asserendo, Deum hominem in manu consilii sui reliquisse, propterea quod ejus voluntati sui actus potestatem dedit; ex quo fit eam, posita judicii indifferentia, ad unum non esse determinatam: quod quidem in aliis causis naturalibus contingere nequit, quod enim eae indifferente judicio carent, idcirco ad unum naturali forma determinantur: “ Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis: quod quidem dominium naturae non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum. „

63. Quae quidem Thomae testimonia, atque alia, supra producta, et ex quaestione tertia de potentia desumpta, ita aperta videntur, ut nemo, nisi veritati repugnare velit, ejusdem Doctoris mentem hac de re in dubium revocare queat. Quapropter non modo Thomistae, verum etiam vel adversarii phisicae motionis interdum fassi sunt, in eadem quaestione praemotionis doctrinam Aquinatem tradidisse: Bellarminus enim id aperte palamque enunciat, ut infra demonstrabitur; et ipse Suarezius, quamquam Thomam eam opinionem alibi retractasse arbitratus est, in quaestione tamen quae producta est, eam diserte tradisse fatetur: “ Verum est (inquit eximius auctor) D. Thomam quaest. 3. de pot. a. 7. addere tertium (*modum quo Deus causis secundis concurrit*), nimirum virtutem instrumentalem fluentem, quam recipit causa secunda a prima, ut agat tamquam instrumentum ejus; diserte enim hanc enu-

merat tamquam distinctam ab applicatione et ab efficientia, seu conservatione ipsius causae secundae et virtutis ejus (1). „ Quibus ex verbis omnibus in promptu est, clarissimum virum, quamvis in Thomae testimoniis eludendis sagacissimum, negare non potuisse, S. Doctorem in quaestione quam adduxi, phisicae motionis doctrinam aperte tradidisse.

64. Quae res cum ita se habeat, sequens difficultas quae a praemotionis adversariis nuperrime Thomistis objecta est, nequit intelligi: Doctorem Angelicum phisicae praemotionis doctrinam tradidisse nullibi legitur; immo pluribus in locis is contrariam apertissime docuit. Ii vero qui phisicam motionem tuentur, ejusdem tantum illa verba possunt proferre: “ Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit; „ in quibus quidem, et maxime in illis “ applicat actioni „ phisicae motionis doctrinam invenire sibi videantur. Verum quamquam ista verba difficultatem aliquam praeseferunt, qui tamen ab ideis praeconceptis immunis est, facile perspicit, ex iisdem colligi non posse, D. Thomam phisicam praemotionem tradidisse. Quod quidem ex eo facile evinci potest, quod praedeterminationis nomen ibidem is non usurpavit, et quod alibi contrariam doctrinam perpetuo tradidit. His de causis illud summopere deplorandum, nonnullos catholicos, praesertim in Gallia, Thomae operibus studentes, phisicae praemotionis doctrinam ediscere, et *Thomismum atque Bannesianismum* perperam permiscere.

(1) Metaph. Disp. 22. Cf. Billuart tract. de grat. diss. 5. a. 7.

65. Verum difficultas ista facile profligatur, adversariorumque objecta diluuntur; si enim Galli, qui quidem Dei O. M. beneficio ad immortalia praecepta redeunt Angelici Doctoris, ejusdem operibus studentes, phisicae motionis doctrinam, seu (ut ab adversariis dicitur) Bannesianismum, ediscunt, non est quamobrem lacrymae profundantur, quum ea ex re nullum omnino sequatur incommodum. Immo id apertissime demonstrare videtur, aut Thomam Bannesii doctrinam tradidisse, aut Bannesium doctrinam Thomae; quum alterutrius operibus quispiam studere nequeat, quin utriusque doctrinam ediscat. Iis autem ex rebus quae hactenus disputatae sunt, jam facile intelligi potest, eos qui phisicam motionem tuentur, non iis verbis solummodo inniti, quae in difficultate proposita efferuntur: idque ex consequentibus capitibus magis constabit. De quaestione vero illa, an Thomas praedeterminationis nomen usurparit, et an aliis in operibus contrariam doctrinam semper tradiderit, nihil hic dicendum est; propterea quod ex iis quae infra dicentur, adversarios longe aberrare facile quisque perspiciet. Tandem ex difficultate proposita nullo modo sequi videtur, ex eo cogendum esse, Thomam phisicam motionem numquam tradidisse, quod adversarius qui illam in medium profert, eam Aquinatis operibus studendo non invenit; etenim quum eamdem rem de se Fuliensis affirmarit, illud praeclarum responsum a Doctissimo Goneto recepit: " Ex his patet quanta fides adhibenda sit Fuliensi, dum ait, se summa cum diligentia et attentione evolvisse omnia D. Thomae opera, et nullibi phisicam praedeterminationem invenisse: incipit enim suum librum ab opusculis D. Thomae, et tamen

nequidem verbum habet de auctoritate jam adducta. Certe aut summa fuit ejus negligentia in legendo D. Thomam, dum omisit illud quod ejus oculis primitus occurrebat, aut quod verisimilius est, auctoritatem istam dissimulavit, quia prorsus insolubilem vidit „ (1).

(1) Disput. 6. De modo quo volunt. movet. a. 2. § 2.

CAPUT XI.

Aperitur mens Thomae aliis testimoniis.

66. Secundum Aquinatis testimonium pro phisicae motionis doctrina producitur. — 67. Relata Thomae verba phisicae praemotioni testimonium dicere, vel Molina fassus est. — 68. Tertium Thomae testimonium proponitur. — 69. Quae Thomae testimonia hactenus producta sunt, ea praemotionis doctrinam asserere, palam enunciat Bellarminus. — 70. Effertur quartum testimonium, quo Thomas phisicam motionem et moralem statuit; atque concursum rejicit, quo modo ab adversariis admittitur. — 71. Conclusio hujus capitis.

66. Quae in superiore capite sunt disputata, ea Thomae mentem de phisica praemotione, seu applicatione potentiarum activarum ad suas operationes, sat aperte declarant; sed quoniam (ut ibidem dictum est) ab adversariis asseritur, ejusdem doctrinam in aliis operibus phisicae motioni isti perpetuo adversari, ipseque doctissimus Suarezius quae in quaestione de potentia a Thoma dicta sunt, alibi fuisse retractata

autumavit, in praesente capite alia ejusdem S. Doctoris praeclara testimonia producuntur. Imprimis vero illud insigne *primae partis, quaestione 105, a. 5,* in quo is quaerit: " Utrum Deus operetur in omni operante „. Ad eam igitur quaestionem dirimendam, Thomas primum dicit (ut in quaestione de potentia jam citata dixerat) quosdam posuisse, nullam virtutem creatam quidquam operari, sed solum Deum omnia immediate efficere: quod quidem rejicit, ac impossibile declarat. Deinde quatuor causarum genera recenset, quarum prima est *materia,* secunda *finis,* tertia *agens,* quarta *forma.* Earum prima causa, id est materia, non est actionis principium, sed potius subjectum actionem, seu actionis effectum, recipiens; secunda causa, id est finis, primum est operationis principium, propterea quod finis ad agendum allicit, seu moraliter movet; tertia causa, scilicet agens, est secundum principium; et quarta demum, id est forma, tertium principium est. Iis rebus statutis secundum ista tria principia, Deum in omnibus agentibus operari, Aquinas aperte declarat. Et imprimis Deus operatur ut finis; quippe quia omne agens propter bonum agit, nullaque res bona dici potest, nisi secundum quod participat similitudinem quamdam summi boni; deinde operatur ut agens, propterea quod nullum agens creatum potest agere, nisi a Deo moveatur; tandem operatur ut forma, idque duplici ratione, primum quia formas, seu potentias activas, rebus creatis dedit, easque conservat; postea quod *formas, seu virtutes, rerum applicat ad operationem, sicut artifex securim applicat ad scindendum:* quae quidem applicatio id est quod a nostris phisica motio, seu praemotio, nuncupatur. Thomae testimo-

nium producatur: “ Dicendum quod Deum operari in quolibet operante aliqui sic intellexerunt, quod nulla virtus creata aliquid operaretur in rebus, sed solus Deus omnia immediate operaretur . . . Hoc autem est impossibile . . . . Considerandum est quod cum sint causarum quatuor genera; *materia* non est principium actionis, sed se habet ut subjectum recipiens actionis effectum; *finis* vero et *agens* et *forma* se habent ut actionis principium . . . . Sic igitur *secundum haec tria* Deus in quolibet operante operatur. Primo quidem secundum rationem finis . . . Secundo considerandum est quod si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis. *Nam primum agens movet secundum ad agendum:* et secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei . . . . Tertio considerandum est, *quod Deus movet non solum res ad operandum, quasi applicando formas et virtutes rerum ad operationem, (sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum qui tamen interdum formam securi non tribuit) sed etiam dat formas creaturis agentibus, et eas tenet in esse* (1) „. Deinde tertiam difficultatem exsolvens ait: “ Dicendum quod Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, *et applicat eas ad agendum,* et est finis omnium actionum, ut dictum est in corp. articuli „.

67. In quo quidem praeclaro Thomae testimonio expendendo, quamvis apertissimo, paulum tamen immorari placet. Ex eo itaque omnibus in promptu est, Thomam tradidisse, non modo Deum causis secundis potentias activas dedisse, easdemque conservare: “ Sed

(1) 1. p. q. 105. a. 5.

etiam dat formas creaturis agentibus, et eas tenet in esse „; verum etiam potentias easdem operationi jungere, seu applicare: “ Applicando formas et virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum „. Praeterea eam applicationem ab Aquinate motionem dici, ex illis verbis intelligitur: “ Deus movet ... res ad agendum, quasi applicando formas et virtutes rerum „; eamdemque vero motionem phisicam esse, non moralem, illud artificis exemplum demonstrat; ex quo profecto facile quisque intelligit, de objectiva motione hic Thomam non loqui. Itaque planum est, nostrum Doctorem in testimonio producto phisicae praemotionis doctrinam, quo modo ab ejusdem discipulis nunc traditur, docuisse; quippe quia Deum potentias activas condidisse, conservare ac operationi applicare apertissime enunciavit, earumdemque applicationem motionem nuncupavit. Quae omnia ita sunt aperta, ut ne Molina quidem ea ambigua habere potuerit; is enim fateri non dubitavit (1): D. Thomam 1. p. quaest. 105 a. 5. docere, Deum duplici ratione operari cum causis secundis, *imprimis quia virtutem illis tribuit ad operandum.... Deinde quia ita eas ad agendum movet, ut quodammodo formas et virtutes earum applicet ad operationem.* Quamquam vero eam doctrinam is rejicit, eamdem tamen eum aperte Aquinati tribuere, tum ex verbis productis, tum ex illis facile cogitur: “ Duo sunt quae mihi difficultatem pariunt *circa doctrinam hanc D. Thomae.* Primum est quod non videam quidnam sit motus ille et applicatio

(1) Concord. q. 14. a. 13. disp. 26. Confer, si lubet, Billuart tract. de grat. Diss. 5.

in causis secundis, qua Deus illas ad agendum moveat et applicet . . . . Quare ingenue fateor mihi valde difficile esse ad intelligendum, *motionem et applicationem hanc quam D. Thomas in causis secundis exigit* „. Quod tam clarum Molinae testimonium iis profecto magni ponderis esse debet, qui in hac quaestione ejusdem vestigia persequi gloriantur; si enim magister palam profitetur, se motioni *quam D. Thomas in causis secundis exigit,* adversari, influxum praevium impugnando; cur ejus discipulos influxum eumdem rejiciendo, genuinam Thomae doctrinam hac de re tradere dicendum erit? At his de rebus satis.

68. Deinceps tertium testimonium proponatur nostri Doctoris, qui quaerens in libro 3. cont. gent. cap. 70, *quomodo idem effectus sit a Deo et a naturali agente,* quam doctrinam in quaestionibus jam citatis tradiderat, apertissime replicat. Itaque dicit, in unaquaque causa duo esse consideranda, primum res quae agit, deinde virtus qua ea agit: postea declarat, virtutem inferioris agentis, id est causae secundae, pendere a virtute superioris agentis, id est Dei, triplici ratione: quia superius agens inferiori virtutem tribuit, quia eam conservat, *et quia ad agendum eamdem applicat:* “ In quolibet agente est duo considerare, scilicet rem ipsam quae agit, et virtutem qua agit, sicut ignis calefacit per calorem. Virtus autem inferioris agentis dependet a virtute superioris agentis, inquantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat eam ad agendum; sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat, per quam agit instrumentum, nec conservat,

sed dat ei solum motum „. Ex quo praeclaro testimonio Angelici Doctoris, jam tertio citra dubium colligitur, Deum non modo causis secundis tribuisse potentias activas, easque conservare, verum etiam easdem operationi jungere, eum apertissime tradidisse. Porro autem id (ut ex dictis planum est) nihil est aliud nisi phisicam motionem, seu praemotionem, docere: quae certe impressio quaedam est, qua potentia activa ad actum impellitur, quo modo instrumentum, artificis impulsu; quod profecto illa Thomae verba adsignificant: " Applicat eam ad agendum, sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum „. Itaque Thomas praemotionem tradidit.

69. Et certe doctissimus Bellarminus non modo testimonium istud, verum etiam alia supra producta phisicae praemotionis doctrinam asserere, palam enunciat. Diversas enim rationes componendi hominis libertatem divinamque cooperationem enucleans, ait (1): " Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione divina, et fortasse etiam probabilior, *est juxta sententiam D. Thomae,* qui docet, cooperationem divinam ita concurrere cum secundis caussis etiam liberis, ut non solum eis dederit, et conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat et applicet ad opus, ut cognosci potest ex 1. part. quaest. 105 artic. 5, et lib. 3. contra gentes cap. 70, et in quaest. 3. de potentia artic. 7 ; quae sententia videtur valde consentanea, tum Scripturae, quae dicit, nos in Deo esse, vivere et moveri, (Act. 17) tum etiam rationi et ordini, quem habet prima caussa cum secundis,

(1) De grat. et lib. arbit. l. 4. c. 16.

neque laborandum est in hac sententia, ut ostendamus, nihil omnino fieri sine Deo. Sed tamen habet etiam haec sententia suas difficultates, quas breviter explicabimus, antequam exponamus, quemadmodum juxta hanc sententiam salvetur liberum arbitrium. „ Infra vero difficultatibus de quibus loquitur, exsolutis, subdit: " His explicatis, ut ostendamus, *juxta hanc S. Thomae sententiam*, recte defendi liberum arbitrium, sciendum est, influxum, seu virtutem Dei, qua voluntas movetur et applicatur ad opus, recipi in causis secundis secundum earum dispositionem. „ Quibus verbis piissimum Cardinalem, omnique eruditione atque doctrina peritissimum, phisicae praemotionis sententiam Aquinati tribuere, locisque jam citatis, et ut probabiliorem, valdeque consentaneam tum S. Scripturae, tum rationi et ordini quem habet prima causa cum secundis eam habere, liberumque arbitrium eadem recte defendi asseverare, omnibus qui visu non laborant est perspicuum.

70. Verum praeter testimonia ad quae revocat Bellarminus, quaeque in praesente capite ac in superiore producta sunt, alia extant praeclara, in quibus Thomas eamdem doctrinam apertissime tradit. Prae omnibus tamen illud insigne, in quo noster Doctor non modo motionem, seu praemotionem cum phisicam tum moralem statuit, verum etiam influxum simultaneum, seu concursum, quo modo ab adversariis admittitur, omnino rejicit. Antequam testimonium istud producatur, animadvertendum est, Deum in causas secundas, seu in earum potentias activas (ut alibi dictum est) influere triplici ratione: primum moraliter, quatenus potentiam impellit ad agendum, eam alliciendo, seu invitando: eo modo famulus ad agendum

movetur praecepto domini sui. Deinde phisice, quatenus potentia phisico impulsu a Deo movetur ad operationem, et eo modo instrumentum ab artifice ad agendum impellitur. Denique simultaneo modo, quatenus Deus una cum causa secunda eumdem effectum producit. Quod tamen (ut alibi dictum est) non sic est intelligendum, ut Deus atque res creata duac causae partiales sint, quemadmodum duo homines navim eamdem trahentes, ut ab adversariis asseritur; sed ut utraque causa totalis sit in diverso ordine, totusque effectus Deo, ut causae primae, rei vero creatae, ut causae secundae, tribuatur. His rebus in mentem revocatis, videndum Thomam motionem phisicam et moralem asserere, concursum vero partialem omnino rejicere. Quaerens itaque, *quomodo intelligatur, quod dicitur, quod creatura non potest cooperari Creatori*, ait (1): " Sciendum quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo quia operatur ad eumdem effectum, sed per aliam virtutem, sicut minister domino, dum ejus praeceptis obedit, et instrumentum artifici a quo movetur.„ In quibus verbis perspicuum est, duplicem motionem Thomam innuere, phisicam scilicet et moralem; dominus enim moraliter movet ministrum, phisice vero artifex instrumentum. " Alio modo (subdit noster Doctor) dicitur aliquid cooperari alicui, inquantum operatur eamdem operationem cum ipso, sicut si diceretur, de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quod unum alteri cooperatur. „ Quae verba partialem concursum profecto adsignificant; quum idem exemplum, duorum navim trahentium, ea

(1) Cont. errores Graec. opusc. 1. c. 23.

referant, quo phisicae motionis adversarii passim utuntur. Postea Thomas subjungit: " Secundum igitur primum modum creatura potest dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura, non tamen quantum ad illos effectus qui sunt immediate a Deo, ut creatio et sanctificatio. „ Quibus ex verbis omnibus in promptu est, secundum Thomam, dupliciter causas secundas Deo cooperari, primum ut cooperatur minister, qui praecepto moraliter movetur, deinde ut cooperatur instrumentum, quod ab artifice phisice impellitur. Itaque Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum motionem, seu praemotionem, cum phisicam tum moralem asseruisse, nemo negare poterit, nisi auctoritati productae irrito conatu repugnare voluerit. At non modo utramque motionem Thomas ibidem asserit, verum etiam partialem concursum omnino rejicit; subdit enim: " Secundo autem modo creatura Creatori non cooperatur, sed solum tres personae *(divinae)* sibi invicem cooperantur. „ Ex quo aperte colligitur, partialem concursum quo modo a Thoma in eo testimonio explanatur, ab adversariisque phisicae motionis admittitur, ab eodem non probari; quippe quia is clare asseverat: *secundo modo creatura Creatori non cooperatur.*

71. Istud autem Aquinatis testimonium ita doctissimo Goneto visum est apertum, ut dixerit, nihil clarius contra adversarios posse produci: " Nihil clarius pro Thomistis contra recentiores afferri potest. Immo D. Thomas insinuat, istos attribuere creaturis id quod solis sanctissimae Trinitatis personis convenit „ (1).

(1) Disp. 6. De modo quo volunt. movet. a. 2. § 2.

Ex eo itaque ac ex aliis quae in praesente capite sunt producta, merito optimoque jure jam potest cogi, nostrum Doctorem pluribus in locis phisicae motionis doctrinam aperte palamque tradidisse; totoque coelo eos aberrare, qui motionem eamdem in quaestione tertia de potentia eum vix aut ne vix quidem attigisse, asseverant. Quorum proinde dictis ne quis se irretiri patiatur, illud nostri poetae in memoriam redigere non omittat:

" Non sian le genti ancor troppo sicure
A giudicar si come quei che stima
Le biade in campo pria che sien mature.
Ch' io ho veduto tutto il verno prima
Il prun mostrarsi rigido e feroce,
Poscia portar la rosa in su la cima " (1).

(1) Divin. Comm. Parad. cant. 13.

CAPUT XII.

Alia Thomae testimonia in medium proferuntur.

72. Proponitur quartum Aquinatis testimonium, quo phisica praemotio egregie stabilitur. — 73. Sextum Thomae testimonium, quo praecipue quantum ad voluntatem, phisica Dei motio statuitur. — 74. Septimum producitur S. Doctoris testimonium, quod duplicem Dei motionem, scilicet phisicam et moralem, recenset; ac istam soli Deo, hanc vero rebus quoque creatis dicit convenire. — 75. Alia Thomae praeclara testimonia in medium adducuntur, et caput concluditur.

72. Sancti Thomae testimonia in duobus superioribus capitibus proposita, ejusdem mentem de quaestione phisicae praemotionis manifestissimam faciunt; quam ob rem vix alia testimonia producere est necesse, ut unusquisque prudenter sapienterque asserere queat, eum motionis ejusdem doctrinam citra ullum dubium tradidisse. Verum quoniam Doctor noster eamdem veritatem hac de re saepissime replicat, non desunt alia, et quidem praeclara, et non minus aperta testimonia, quae praetermittere omnino non licet. Imprimis vero illud insigne *secundae partis* in medium proferre lubet, in quo Thomas generatim affirmat, nullam rem creatam, neque corporalem, neque spiritualem, actum suum ex se edere posse; eaque de causa omnino opus esse, ut unaquaeque res a Deo

ad agendum impellatur, id est suae operationi jungatur; alioquin enim numquam ageret: " Videmus autem (inquit) in corporalibus quod ad motum non solum requiritur ipsa forma, quae est principium motus vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis.... Manifestum est autem quod sicut motus omnes corporales reducuntur in motum coelestis corporis, sicut in primum movens corporale, ita omnes motus tam corporales quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. *Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo* „. Infra vero subdit: " Sic igitur actio intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo: uno modo inquantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit; *alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum* „ (1). Quod quidem praeclarum Thomae testimonium non modo Deum potentias activas omnium rerum creatarum movere, seu eas suis operationibus jungere, apertissime asserit, verum etiam istius motionis ipsius necessitatem egregie stabilit. Duobus namque opus esse dicit, ut aliquis motus, aut corporalis aut spiritualis, efficiatur, forma quae est principium actionis, et motione primi moventis. Qua ex re Thomas infert, nullam causam secundam, neque corporalem neque spiritualem, quamvis perfectissimam, actum suum posse emittere, nisi a Deo moveatur. Eaque de re quam doctrinam eum alibi tradidisse vidimus, eam hic replicans, dicit, cujusvis rei creatae operationem a Deo

(1) 1. 2. q. 109. a. 1.

duplici ratione dependere, primum quia rebus omnibus Deus dedit formas, seu potentias activas, quibus eaedem agunt, deinde quia potentias easdem ad agendum impellit: " Sic igitur actio intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo: uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit, alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum. „ His de rebus atque rationibus merito optimoque jure clarus P. Nicolài, in scholiis ad hunc Thomae locum, phisicae praemotionis adversarios velut ferreo torculo constringit: " Quam sponte coecos esse oportet, qui phisicam praemotionem S. Thomam non vident agnovisse! Quid enim est movere ad agendum, nisi omnino praemovere? Quomodo ad agendum quis movet, nisi de non agente faciat agens? Facit ne porro de non agente agens, nisi prius in illud agat aut praeveniat ejus motum? An praevenire ejus motum ut agat, vel facere ut moveatur ad agendum, non est phisice praemovere?..... „ Sed haec quidem hactenus.

73. Doctrinam vero eamdem, praesertim quatenus de voluntate sermo est, repetit Aquinas in compendio Theologiae; in quo demonstrat, *quod solus Deus movet voluntatem hominis, non res creata.* Cujus quidem disputationis initium facit, asseverando, quod omne mutabile et multiforme in primum aliquod immobile, tamquam in causam reducitur, idcirco ut intellectus atque voluntas in superiorem aliquam causam immobilem ac uniformem reducantur, esse necesse. Infra vero de voluntate loquens, ait: " Sed *cum actus voluntatis sit inclinatio quaedam* ab interiori ad exterius procedens, et comparetur inclinationibus naturalibus, sicut incli-

nationes naturales rebus naturalibus solum insunt a causa suae naturae, ita actus voluntatis a solo Deo est, qui solus causa est naturae rationalis voluntatem habentis. Unde patet quod non est contra arbitrii libertatem si Deus voluntatem hominis movet, sicut non est contra naturam, quod Deus in rebus naturalibus operatur; *sed tam inclinatio naturalis quam voluntaria a Deo est, utraque proveniens secundum conditionem rei cujus est: sic enim Deus res movet secundum quod competit earum naturae.* Patet igitur ex dictis, quod in corpus humanum et virtutes ejus corporeas imprimere possunt corpora coelestia, sicut et in alia corpora, . . . in voluntatem autem solus Deus imprimere potest „ (1). Quae quidem Aquinatis verba, sensu obvio naturalique accepta, apertissime dicunt, Deum hominis voluntatem ad agendum phisice movere, quin arbitrii libertatem convellat: quod profecto nihil aliud est, nisi quod ab iis, qui phisicam praemotionem tuentur, asseritur. Re vera asserit Thomas, Deum voluntatem movere: “ Deus voluntatem hominis movet; „ atque ea motio phisica profecto est, quippe quia est impressio quaedam in voluntatem: “ In voluntatem autem solus Deus imprimere potest. „ Motionis autem nomine collatio naturalis inclinationis intelligi nequit, quia non de potentia, sed de actu, seu operatione, aperte loquitur Thomas: “ Cum actus voluntatis sit inclinatio quaedam, ... actus voluntatis a solo Deo est. Unde non est contra arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis movet. „ Tandem ea motio libertatem non convellit, quemadmodum motio in rebus naturalibus

(1) Opusc. 2. c. 129.

non convellit naturam; propterea quod motus tum naturalis tum voluntarius a Deo gignitur *secundum conditionem rei cujus est.* Itaque planum est, in eo testimonio phisicae praemotionis doctrinam Thomam tradidisse.

74. At septimum testimonium producatur, in quo noster Doctor duplicem Dei motionem recenset, scilicet phisicam et moralem; ac istam soli Deo, hanc vero etiam rebus creatis dicit convenire. Eam rem is praestat in lib. 3. cont. gent. (1), in quo ostendit, *quod substantiae separatae creatae non possunt esse causa directe electionum et voluntatum nostrarum.* Itaque imprimis dicit, substantias creatas moraliter solummodo voluntatem posse movere: " Proximum motivum voluntatis est bonum intellectum, quod est suum objectum, et movetur ab ipso sicut visus a colore. Nulla igitur substantia creata potest movere voluntatem nisi mediante bono intellecto. Hoc autem est in quantum manifestat ei aliquid esse bonum ad agendum: quod est persuadere. Nulla igitur substantia creata potest agere in voluntatem, vel esse causa electionis nostrae, *nisi per modum suadentis.* „ Quibus verbis de motione morali, seu objectiva, qua quidem et Deus et homines et angeli, tum boni tum mali, voluntatem possunt movere, eidem bonitatem quae in objecto est patefaciendo, nostrum Doctorem loqui, omnibus est perspicuum. Postea vero de motione phisica loquens, saepissime replicat, ea non nisi Deum hominis voluntatem attingere posse. Re vera secundam probationem suae thesis cum illis verbis concludit: " Solus igitur Deus potest movere voluntatem

(1) Cap. 88.

per modum agentis; „ tertiam vero cum illis: “ Ergo et voluntatem inclinare in aliquid non est nisi ejus qui est naturae intellectualis causa. Hoc autem solius Dei est. Ipse igitur *solus voluntatem nostram in aliquid inclinare potest.* „ In quibus verbis illa notanda, *movere voluntatem per modum agentis,* atque *Deum solum eamdem in aliquid posse inclinare;* primum enim motionem phisicam indicare omnibus est perspicuum; idemque autem secundum significare, ex eo facile colligitur, quod absurdum profecto est, Deum solum voluntatem posse inclinare, si de morali motione sit sermo. Praeterea in quarta probatione Thomas apertissime affirmat, se loqui de motione phisica, seu *per modum agentis,* non autem de morali, seu *per modum finis;* asseveratque priore illo modo nullam rem creatam hominis voluntatem posse movere. Etenim si ab aliquo principio externo creato moveretur voluntas, ejus motus violentus potiusquam voluntarius esset dicendus; propterea quod nulla res creata intrinsecus animae conjungi potest, ut motus voluntarius cujus illa sit causa, a principio intrinseco defluere, dici queat. Itaque solus Deus, qui intrinsecus animae conjungitur, voluntatis motum phisice, seu efficienter, efficere potest: “ Si voluntas (inquit) moveatur ab aliquo exteriori principio, erit violentus motus. Dico autem moveri ab extrinseco principio *quod movet per modum agentis et non per modum finis.* Violentum autem voluntario repugnat. Impossibile est igitur quod voluntas moveatur a principio extrinseco *quasi ab agente;* sed oportet quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat. Nulla autem substantia creata conjungitur animae intellectuali quantum ad sua interiora, nisi solus Deus, qui solus est causa

ipsius, et substinens eam in esse. A solo igitur Deo potest motus voluntarius causari. „ Tandem in quinta probatione Thomas ait: " Illud igitur solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum hujus motus, quod est potentia ipsa voluntatis. Hoc autem est Deus, qui animam solus creat. *Solus igitur Deus potest movere voluntatem per modum agentis absque violentia.* „ Post quae verba, quae certe aut phisicae motionis doctrinam aperte asserunt, aut nihil prorsus significant, Aquinas caput concludit cum illis praeclaris testimoniis Sacrae Scripturae, quae quidem phisica motione rejecta, difficulter explicari poterunt: " Hinc est quod dicitur Prov. 21. 1. Cor Regis in manu Domini: et quocumque voluerit, inclinabit illud: et ad Philip. 2. 13. Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate. „

75. Productum Aquinatis testimonium omne dubium de ejusdem mente hac de re expellere debet; integrum enim caput, ex quo est desumptum, nihil aliud demonstrat, (ut jam ex dictis facile intelligi potest) nisi solummodo moraliter res creatas hominis voluntatem posse movere, Deum autem solum, per modum agentis, id est phisice, seu efficienter. Porro autem qui phisicam praemotionem tuentur, eamdem omnino doctrinam apertissime docent: ex quo fit eosdem a Thomae mente non discrepare. Neque illud opponi potest, motionem istam de qua loquitur Thomas, concursu, seu influxu simultaneo, posse explanari; concursus enim voluntatis motio perperam dicitur, ut planum est ex alibi disputatis. Praeterea motio eadem ab Aquinate illis verbis Sacrae Scripturae explanatur:

Inclinabit illud, et *Deus operatur velle*; influxum autem simultaneum voluntatem non inclinare, neque operari velle, sed solummodo operari cum ea operatur, est perspicuum. Sed hac in re immorandum non est, propterea quod ipse Doctor Angelicus, concursum rejiciens, palam enunciat, omnem voluntatis actum a Deo esse, tamquam a primo agente, qui voluntatem eamdem contactu virtuali tangens, eam impressione quadam ad actum impellit, quemadmodum sagittans impellit sagittam ad signum praefinitum: " Sicut omnis actio naturalis est a Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate, ut immediate agente, sed a Deo ut primo agente, *qui vehementius imprimit* (1). „ Quod quidem alibi clarius explanans, ait: " Omnis inclinatio alicujus rei, *vel naturalis vel voluntaria*, nihil aliud est quam *quaedam impressio a primo movente; sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum, nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante*. Unde omnia quae aguntur vel naturaliter vel voluntarie, quasi propria sponte perveniunt in id, ad quod divinitus ordinantur. Et ideo dicitur Deus *omnia disponere suaviter* (2). „ Ex quibus quidem apertis testimoniis facili negotio intelligitur, concursu, seu influxu simultaneo, divinam motionem Thomam non explanare; quum ea dicant, Deum hominis voluntatem phisice ad agendum inclinare, seu impressione quadam impellere: quae inclinatio, seu impressio, tum a nostris tum ab extraneis, praemotio phisica nuncupatur. Neque illud ab adversariis objici poterit, inclinationis nomine potentiam ipsam appetitus intelligere, non

(1) Q. 22. de verit. a. 8. — (2) 1. p. q. 103. a. 8.

tamen applicationem potentiae ad actum secundum; nam praeterquam quod ea difficultas alibi profligata est, praeterea nullius momenti eam esse, ex eo facile intelligitur, quod Thomas exemplum affert sagittae ad signum constitum impulsae, quam impulsionem, quamdam sagittantis impressionem appellat; atque ex ea re cogit, omnia quae aguntur, sive naturaliter, sive voluntarie, pervenire in id ad quod divinitus ordinantur. Quibus quidem ex rebus omnibus in promptu est, non de potentia, sed de inclinatione actuali, id est de motione phisica potentiae ad actum secundum, eum in testimoniis productis loquutum fuisse. Verum non est quamobrem in ista difficultate solvenda immoremur, quum (ut dictum est) alibi fuerit explanata. Immo Thomas ipse eam ad exitum deducit in quaestione tertia de potentia supra producta; in qua quidem discrimen statuens inter actum primum et secundum, istum huic a Deo jungi, seu applicari, apertissime docet. Quam ob rem praesens caput concludere tandem licet, asserendo, nostrum Doctorem phisicae praemotionis doctrinam non modo aperte tradidisse, verum etiam saepissime replicasse; eosque in maximo errore versari, qui eumdem numquam eam agnovisse arbitrantur, multoque magis qui ut eam in praeclaris ejusdem operibus videant, nulla ratione possunt impelli.

CAPUT XIII.

Mens D. Thomae magis declaratur.

76. Ut mens Thomae hac de re undequaque comperta habeatur, ejusdem testimoniis primum evincitur, Deum voluntatem movere phisice. — 77. Deinde phisicam motionem istam, esse influxum vere praevium, seu veram praemotionem. — 78. Postea ad difficultates vitandas, praemotionem a Thoma determinationem nuncupari. — 79. Tandem statuitur, hanc determinationem ipsam praedeterminationem appellare, contra Thomae mentem non esse, quippe quia praedeterminationis nomen Thomas adhibuit.

76. Quoddam discrimen esse inter motionem et praemotionem, ac inter determinationem et praedeterminationem nonnulli autumarunt; qui eam ob causam quamquam fortasse alieni non sunt a probanda motione, determinationeque, omnino tamen rejiciendam esse tum praemotionem tum praedeterminationem acriter defendunt. Verum iis ex rebus quae in praesente capite dicentur, omnibus in promptu erit, discrimen istud nullum esse, et numquam in mente nostri Doctoris extitisse; ejusdem enim testimoniis cum motionis et determinationis, tum praemotionis et praedeterminationis doctrinam eum apertissime tradidisse, immo ipsa eadem verba de quibus est disceptaptio, adhibuisse, invincibiliter stabilietur. Quamquam vero

de motione atque determinatione loqui necesse non sit, quod his de rebus mens Thomae ex hactenus disputatis comperta habetur; de iisdem tamen disserere hic placet; tum ut res hujus capitis recte disponantur, tum, et maxime, ne aliis praeclaris testimoniis nostri Doctoris lector fraudetur. Imprimis itaque voluntatem phisice a Deo moveri, Angelicum Doctorem tradidisse, evincatur; qui quaerens (1), *utrum unus Angelus possit movere voluntatem alterius,* duplicem voluntatis ejusdem motionem recenset, moralem, id est ex parte objecti, et phisicam, id est ex parte potentiae motae. Primo autem modo voluntatem movere asserit, tum objectum, tum eum qui ipsum demonstrat; et Angelum quidem eo modo ad amorem Dei, vel rei creatae, voluntatem impellere posse, non tamen phisice: " Voluntas immutatur dupliciter: uno modo ex parte objecti, alio modo ex parte ipsius potentiae. Ex parte quidem objecti movet voluntatem et ipsum bonum, quod est voluntatis objectum, sicut appetibile movet appetitum; et ille qui demonstrat objectum, puta qui demonstrat aliquid esse bonum .... Angelus ergo non sufficienter movet voluntatem, neque ut objectum, neque ut ostendens objectum; sed inclinat eam ut amabile quoddam, et ut manifestans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem; et per hoc inclinare potest ad amorem creaturae, vel Dei, *per modum suadentis.* „ Quibus quidem verbis de morali motione Thomam loqui perspicuum est. Deinceps de motione phisica sermonem instituens, apertissime asseverat, Deum solummodo, eo modo, voluntatem posse movere; quippe quia (ut is ait) volun-

(1) 2. p. q. 106. a. 2.

tatis actus quaedam inclinatio est, quam is solum potest immutare, qui volendi virtutem causae creatae dedit: “ Ex parte vero ipsius potentiae, voluntas nullo modo potest moveri nisi a Deo. Operatio enim voluntatis est inclinatio quaedam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturae contulit, sicut et naturalem inclinationem solum illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem quam consequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus est qui potentiam volendi tribuit creaturae, quia ipse solus est auctor intellectualis naturae. Unde Angelus voluntatem alterius movere non potest. „ Quae verba Deum solummodo voluntatem phisice movere, apertissime dicere, nemo est qui non videat. Doctrinam vero eamdem Thomas statuit in praecedente quaetione (1); ubi quaerit, *utrum Deus possit movere voluntatem creatam.* Itaque dicit, Deum movere voluntatem tum moraliter, id est ut objectum, tum phisice, id est eamdem intrinsecus flectens; sed maxime secundo modo, interius (ut is ait) eam inclinando: “ Ipse solus *(Deus)* (inquit) implet voluntatem, et sufficienter eam movet ut objectum. „ Quibus verbis planum est eum motionem moralem, seu objectivam, indicare. Postea vero subdit: “ Similiter autem et virtus volendi a solo Deo causatur. Velle enim nihil aliud est quam inclinatio quaedam in objectum voluntatis, quod est bonum universale. Inclinare autem in bonum est primi moventis .... Unde utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, *sed maxime secundo modo interius eam inclinando.* „ His de rebus atque rationibus

(1) Ibid. q. 105. a. 4.

omnibus est perspicuum, nostrum Doctorem apertissime docuisse, *Deum voluntatem movere phisice.*

77. Phisicam vero motionem istam esse influxum vere praevium, seu veram praemotionem, iis ex rebus quae hactenus disputatae sunt, facili negotio potest intelligi. Etenim simultaneus influxus, de quo quidem posset esse disceptatio, nullo modo voluntatem tangit, sed ejusdem operationem comitatur, quemadmodum alibi explanatum est: porro autem de motione Thomam loqui, quae voluntatem intrinsecus immutat quisque perspicit; quapropter verae praemotioni, non autem influxui simultaneo, ejus verba testimonium dicere est perspicuum. Praeterea quoniam phisice Deum movere voluntatem ex Thoma jam habemus, illud ejusdem Doctoris praeclarum in mentem est revocandum: " Motio moventis praecedit motum mobilis ratione et causa (1); „ ex quo quidem fit, toties eumdem praemotionem docere, quoties phisicam motionem affirmat. Eam ob rem alibi quoque Thomas ait: " Causa secunda *per prius* recipit influentiam causae primae, quam actus causae secundariae; „ itemque " Virtus causae primae *prius agit* in causatum et vehementius ingreditur in ipsum (2). „ His de causis Dominicus Soto antiquissimus Thomae discipulus, de liberis voluntatis actibus loquens, ait: " Non prius tempore a Deo quam a nobis, sed a Deo et a nobis fiunt, ab eo tamen *prius natura*; „ et generatim de Dei concursu loquens: " Non est dubium quin concursus Dei comitetur, ut ajunt, actionem, et sit nihilominus

(1) III. Cont. Gent. c. 149. — (2) Q. 24. de verit. a. 6. et q. 3. de pot. a. 7.

cuicumque causae secundae requisitus ad agendum imo vero et *natura praerequisitus* „ (1). Caeterum veritas quae propugnatur, adeo aperta est, ut perperam tempus teratur in ea evincenda immorando; vix enim (ut ex dictis praesertim in capite nono constat) mente concipi potest, Deum causas secundas ad agendum movere, earumdemque efficientiam, seu motum, non praevenire. Qua de re est illud praeclarum Catechismi Concilii Tridentini: “ Non solum autem Deus universa quae sunt, providentia sua tuetur atque administrat; verum etiam quae moventur, et *agunt aliquid*, intima virtute, ad motum atque actionem *ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen*; cum ejus occultissima vis ad singula pertingat „ (2). Quibus quidem auctoritatibus atque rationibus omnibus compertum est, Deum phisice voluntatem movere, idem omnino esse ac eam praemovere; nec aliter Thomam docuisse, cum phisicam motionem asseruit.

78. Eam vero phisicam praemotionem causae determinationem esse, atque a Thoma nuncupari, vix est necesse ut demonstretur. Re vera Aquinas ait: “ Causa quae est ex se contingens, oportet ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum (3): „ cujus quidem rei ratio est, quia quod est contingens, in potentia est ad plura; potentia vero (ut is ait) non est principium agendi; quocirca ut in actum exeat causa contingens, determinari debet ab aliquo quod sit in actu. His de rebus alibi quoque Thomas ait:

(1) De. nat. et grat. l. 1. c. 16. — (2) In art. 1. Symb. n. 22. — (3) 1. p. q. a. 3. ad 5.

“ Sicut potentia motiva quae est ad utrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitivam determinetur ad unum, ita *nihil quod est ad utrumlibet, exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad unum;* quia id quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia; potentia autem non est principium agendi, sed solum actus; unde ex eo quod est ad utrumlibet nihil sequitur, nisi per aliquid aliud *quod determinat ad unum.* „ Quibus ex verbis satis leviter intelligi potest, secundum Thomae doctrinam, phisicam motionem voluntatis, quae certe *potentia est ad utrumlibet,* seu indifferens, non modo ejusdem determinationem esse, atque dici posse; verum etiam *determinationem ad unum,* quamquam id moleste ferant recentiores adversarii phisicae praemotionis. Neque ea ex re ullo modo consequitur, libertatem convelli; determinatio enim ista necessaria non est, sed libera; propterea quod (ut Thomas ait) non ita in voluntate Deus agit, ut eam ad unum determinet ex necessitate quemadmodum determinat naturam: “ Dicendum quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per esclusionem causae primae, sed quia prima causa non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis (1). „ Itaque merito atque jure optimo aperte affirmat Pererius (2), Aquinatem tradidisse, omnes causas cum necessarias, tum liberas *a Deo moveri, applicari et determinari ad agendum;* cujus quidem clarissimi auctoris testimonium,

(1) Q. 3. de pot. jam cit. c. 10. — (2) Citat. a Gonet, De act. hum. disp. 6. a. 2. § 5.

quod nostram sententiam confirmat, phisicaeque praemotionis doctrinam explanat, integrum producere placet: " In eo *quod adjungit D. Thomas*, causas secundas et in his voluntatem nostram *a Deo moveri, applicari et determinari ad agendum*, licet nonnulli dissentiant Theologi; ego tamen manibus pedibusque in eam sententiam per quam libenter eo. Hoc enim est ingenium, haec conditio, hic nexus atque contextus moventium et causarum per se et essentialiter sobordinatarum, ut posterior non moveatur nisi mota a priori: In ordine moventium, inquit, Aristoteles, quod prius est, magis est causa movendi quam sequens, et movetur magis. Et in libello de causis dicitur causa prima plus, vehementius, intimius et inseparabilius concurrere ad effectus causarum secundarum, quam ipsas causas secundas, et juvare causas secundas in operationibus ipsarum, et magis esse causam effectus quam causas secundas. Quemadmodum igitur in aliis causarum generibus per se subordinatis invicem, posterior causa necessario praesupponit causalitatem priorum, veluti in formis esse sensitivum praesupponit vegetativum, et hoc esse corporeum,..... sic etiam in moventibus per se invicem subordinatis, posterius necessario praesupponit primum, et causae primae causalitas *prior natura est* quam causalitas causae secundae. „

79. Quae postrema verba non modo determinationis verum etiam praedeterminationis doctrinam asserunt, atque nostro Doctori tribuunt. Et certe praedeterminationis nomine nihil aliud intelligitur a Thomistis, nisi phisica impulsio, seu applicatio, potentiae activae ad suam operationem, ita ut actio causae primae natura prior sit actione causae secundae. Porro autem

ex hactenus dictis perspicuum est, saepissime Thomam tradidisse, causas omnes, cum necessarias, tum liberas, Deum ad operationem applicare, seu phisice impellere. Quapropter planum est praedeterminationis doctrinam eum tradidisse; atque proinde contra ejusdem mentem non esse, hac de re praedeterminationis nomen adhibere. Praeterea moventis motio prior natura est motu mobilis, ut ex Aristotele ac ex Aquinate alibi dictum est: erga quemadmodum ex eo principio sequitur, movere esse praemovere; ita profecto consequitur determinare esse praedeterminare; idem enim est praemotio, secundum Thomistas, quod praedeterminatio. Atqui Deum causas secundas, et ipsam voluntatem eamdem, determinare ad operationem, nostrum Doctorem affirmasse, ex ejusdem testimoniis in numero praecedente ac alibi productis, manifestum est. Ex quo fit neminem qui veritati repugnare non vult, asserere posse, voluntatem a Deo praedeterminari, Thomam non docuisse. His de rebus atque rationibus merito clarus P. Nicolai, saepe citatus, contra praedeterminationis adversarios ait (1): " Quanta coecitas, ut tot locis tam evidentem *(praedeterminationem)* non viderint, quoad rem ipsam saltem, cum sic a Deo nos moveri, sive determinari, ad agendum centies dixerit, ut actiones nostras ipsa motio Dei antecedet et causet? Quid hoc porro nisi preadeterminatio, vel praemotio phisica et realis? Jam quod admitti non debeat, quia destruit libertatem, dormitantium phantasma est.... Destruit certe libertatem, si est talis qualis ab eis per somnium fingitur, indifferentiae activae opposita; si ad hanc partem sic

(1) In schol. ad 1. 2. q. 111. a. 3.

affigit, ut potentiam ad alterutram tollat; si sic impellit, ut repelli a voluntate abjicique non possit. Sed cur in voce ludunt?.... Praedeterminatio non aliter dicitur vero sensu, nisi passivam indifferentiam, vel indeterminationem tollat, dum ad agendum non agentem applicat, qui manente indeterminatione non ageret. „ Ex quo praeclaro testimonio facile intelligitur, quamvis a Thoma praedeterminationis nomen usurpatum non esset, ejusdem rei tamen doctrinam eum aperte tradere. Verum adhibuit Thomas praedeterminationis nomen; explanans enim illa Damasceni verba: *Omnia quidem praecognoscit Deus, non autem omnia praedeterminat. Praecognoscit enim ea quae in nobis sunt, non autem praedeterminat ea*; asserit Damascenum praedeterminationem non rejicere, sed solummodo necessitatem: " Dicendum quod Damascenus nominat praedeterminationem impositionem necessitatis; sicut est in rebus naturalibus quae sunt praedeterminatae ad unum (1).„ Eamdem rem omnino alibi (2) repetit; ex quo citra dubium fit, praedeterminationem quantum ad rem et quantum ad nomen Thomam probare, ita tamen ut causis liberis necessitatem non inferat, sicut causis necessariis. Neque illud objicere quispiam potest, Thomam in loco citato praedeterminationem accipere pro aeterno decreto praedeterminante; notum est enim temporalem determinationem, seu motionem, causarum secundarum, nihil aliud esse, nisi decreti istius executionem; ex quo intelligitur utramque rem praedeterminationis nomine significari. Itaque quae in praesente capite disputata sunt, concludere licet asse-

(1) 1. p. q. 23. a. 1. ad 1. — (2) III. Cont. Gent. c. 90.

verando, S. Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, phisicae motionis, praemotionis, determinationis atque praedeterminationis doctrinam tradidisse; quinimmo ipsa eadem nomina quae in disceptationem veniunt, si illud praemotionis excipias, adhibuisse. Ei autem veritati obesse nequit, quod ab adversariis saepissime opponitur, hominis libertatem atque Dei praedeterminationem difficulter in concordiam adduci; id enim satis non est, ut praedeterminatio rejiciatur, vel numquam Thomam eam docuisse asseveretur; quum tot rationes, atque tam aperta ejusdem testimonia contrariam sententiam evincant. Ceterum ratio componendi phisicam Dei motionem atque hominis libertatem infra tradetur: qui vero idcirco adversantur praemotioni, quod eam rationem dilucide non intelligunt, illud praeclarum Poetae reminiscantur:

" Or tu chi se', che vuoi sedere a scranna,
Per giudicar di lungi mille miglia,
Con la veduta corta d'una spanna? (1) "

(1) Divin. Comm. Parad. cant. 19.

CAPUT XIV.

Declaratur mens Thomae rationibus ex eodem depromptis.

80. Prima ratio proponitur, ex eo ducta, quod Deus omnium entium est causa. — 81. Ex eo derivatur secunda ratio, quod Deus est primus motor. — 82. Proponitur tertia ratio, quae ex universali Dei providentia deducitur. — 83. Quarta ratio derivatur ex statu potentiae cujusvis causae creatae. — 84. Quinta ratio est, quod creaturae Dei instrumenta sunt. — 85. Sexta ratio, praecipue quatenus de voluntate sermo est, in medium adducitur, ex statu indifferentiae causarum liberarum deducta. — 86. Septima tandem ratio ducitur ex suprema potestate, quae penes Deum est, voluntatum nostrarum.

80. Thomae Aquinatis testimonia, quae in praecedentibus capitibus sunt producta, phisicae praemotionis doctrinam non modo asserere, verum etiam explanare, et egregie stabilire, attente ea legenti perspicuum erit. Attamen ut hac de re omne prorsus dubium quantum ad mentem S. Doctoris amoveatur, praesens caput placet instituere, in quo doctrina eadem rationibus ab eo adhibitis, evincatur. Earum autem prima ex eo facile ducitur, quod Deus causa est totius entis, id est entis et omnium modorum ejus; cum enim ipse causa sit efficacissima, causaque quae summe efficax est, non modo quantum ad substantiam, verum etiam quantum ad omnes modos, effectum attingat, necesse omnino est, ut cujuscumque rei quae re vera existat, sive ea substantia sit, sive accidens,

ipse vere sit causa (1). Jam vero operatio causae secundae, seu effluxus actionis ex ea, aliquid re vera est in natura existens; quippe quia exercitium est potentiae activae, in quo est causae efficientis sita causalitas, quae certe aliquid est reale (ut dicitur) in natura exercitum. Itaque planum est, cujusvis operationis causarum secundarum, seu effluxus ejusdem ex eis, Deum esse causam. Porro autem quempiam actionis alterius, seu emanationis ejusdem ex eo, causam esse, dici nequit, nisi ipsum ad operationem applicet, seu praemoveat. Quod quidem exemplo duorum navim trahentium, quo ad simultaneum influxum explicandum adversarii maxime utuntur, potest explanari; etsi enim in eo casu tractionis causa dici queat uterque, neuter tamen effluxus actionis ex altero, nisi eum ad agendum moveat, seu applicet. Ex quo profecto fit, Deum qui causa est totius entis, atque proinde egressus actionis ex agente, omnes causas secundas, tum necessarias, tum liberas, ad earum operationes applicare, seu phisice praemovere. Ea de re est illud praeclarum nostri Doctoris: " Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis: artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis .... Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter et primo a Deo .... Omnis igitur operatio debet attribui Deo, sicut primo et principali agenti (2). „ Dicentne adversarii, de applicatione morali Thomam in eo testimonio fuisse loquutum ? Sed de prima ratione satis dictum est.

(1) Cf. D. Thom. 1. p. q. 19. a. 8. — (2) III. Cont. Gent. c. 67.

81. Deinceps secunda in medium proferatur, quae ex eo facillime derivatur, quod Deus (ut loco supra citato inquit Thomas) est primum movens omnino immobile. Etenim ratio primi motoris postulat, ut omnes causas inferiores ad earum operationes ipse impellat, seu permoveat: qua quidem in re causarum subordinatio sita est. Et certe si inferior causa ageret, a prima non mota, neque priori subordinata, neque inferior posset dici; sed potius in eo saltem opere, in quo primum se moveret, primum esset movens, ut patet. Ea de causa loco citato noster Doctor ait: " In omnibus causis agentibus ordinatis semper oportet quod causae sequentes agant in virtute causae primae; sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum coelestium, et in rebus voluntariis omnes artifices operantur secundum imperium supremi architectoris.„ Itaque Deus quod primum est movens, ideo omnes causas secundas, sibi subordinatas, ad agendum debet permovere. Jam vero motio ista phisica profecto est; tum quia de phisica motione Thomam loqui, ex ejusdem testimoniis hactenus productis est perspicuum; tum quia, et maxime, motio moralis causis quae virtute cognoscendi carent, nequit convenire. Super haec praevia est, quod moventis motio motum mobilis praecedit ratione et causa, ut supra ex Thoma explanatum est. Itaque secundum Thomae mentem atque veritatem, phisice praemovere Deum omnes causas secundas ad earum operationes est perspicuum. Ad hanc autem probationem firmandam, illud praeclarum Azorii placet referre, qui de sententia nostri Doctoris loquens, ait: " Coeterum mihi videtur verissima *D. Thomae sententia:* eam enim plane videtur Augustinus tradere, ...

ideo enim dici videtur causa secunda, quia movetur a prima: alioquin enim solum esset causa cum prima; sicut cum duo simul trabem portant, ubi quia unus ad portandum non movetur et applicatur ab altero, dici non potest causa secunda, alteri comparata, sed est simul cum altero causa (1). „ Quibus ex verbis facile adversarii intelligere possunt, rationem primae causae, atqui primi motoris in Deo ab exitio non vindicari, nisi omnes causas secundas influxu praevio ad agendum ab eo moveri dicatur.

82. Tertia ratio ex universali Dei providentia derivatur, atque paucis sequenti modo proponi potest. Deus ut supremus mundi gubernator, cujus providentia omnia reguntur et temperantur, finem ultimum hujus universi cum velit, omnia ad illum infallibiliter dirigit atque perducit. Qua de re est illud praeclarum Aquinatis ex Boetio: " Non est aliquid quod summo huic bono vel velit vel possit obsistere. Est igitur summum bonum quod regit cuncta fortiter, suaviterque disponit (2). „ Porro autem neque simultaneo influxu, seu concursu, neque morali motione potest Deus omnia ad eum finem infallibiliter perducere; iste enim indifferens est, neque eo Deus causas secundas dirigit, sed cum eis solummodo ad idem opus peragendum concurrit; haec vero saepissime inefficax est, neque ea capaces sunt, qui cognitione carent: ex quibus profecto fit, neque simultaneo influxu, neque morali motione, haberi posse infallibilitatem effectus. Itaque planum est, ut res omnes ad finem ultimum hujus universi

(1) Inst. moral. lib. 1. c. 21. Vide Gonet. loco jam citato. —
(2) 1. p. q. 103. a. 8.

Deus infallibiliter dirigat atque perducat, omnino necesse esse, ut eas phisica infallibilique motione ad agendum impellat. Eam ob causam noster Doctor ostendens, loco citato, nihil posse reniti contra ordinem divinae gubernationis, illam rationem in medium profert: " Alio modo apparet idem ex hoc, quod sicut supra dictum est, omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis vel voluntaria, nihil aliud est quam quaedam impressio a primo movente; sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum, nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante. Unde omnia quae aguntur vel naturaliter vel voluntarie, quasi propria sponte perveniunt in id ad quod divinitus ordinantur. „ Ex quo praeclaro testimonio quisque facili negotio perspicit, infallibilitatem divinae gubernationis phisica motione, seu impulsione causarum secundarum, cum necessariarum, tum liberarum ad suas operationes, Aquinatem evincere. Sed his de rebus satis dictum est.

83. Quarta autem ratio ex statu potentiae cujusvis causae secundae potest duci: nihil enim agit, nisi ut est in actu; quod autem in potentia est, non modo non agit, sed neque agere potest; esset enim in potentia et in actu quantum ad idem, quod quidem apertam contradictionem involvit. Jam vero quaevis causa secunda in potentia est, seu est tantum operativa in actu primo, non tamen in actu secundo; propterea quod solus Deus est sua ultima actualitas, ut ajunt, idque est perspicuum. Dici autem nequit, eam simultaneo influxu ad actum perduci, ideo quia concursus potentiam intrinsecus non immutat, immo ne eam quidem tangit, ut saepe dictum est: quod quidem de motione quoque morali esse dicendum, nemo non videt.

Igitur ut quaevis causa secunda e statu potentiae ad actum pertransire queat, omnino opus est, ut phisicam Dei motionem intrinsecus recipiat, qua principium operativum in actu secundo efficiatur. Quam quidem ob rem Aquinas de actu peccati loquens, eumque dupliciter considerari posse, quatenus est ens, et quatenus est actio, asserens, utroque modo eum a Deo esse palam enunciat. Dicit namque a Deo esse, quatenus est ens, quod unumquodque ens a primo ente derivatur; itemque quatenus actio est, propterea quod nulla actio proficisci potest ab eo qui est in potentia, sed ab aliquo existente in actu eam defluere est necesse: " Omnis autem actio causatur ab aliquo existente in actu, quia nihil agit nisi secundum quod est actu. Omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquitur quod Deus sit causa omnis actionis in quantum est actio (1). „

84. Sed magis etiam ea veritas ex quinta probatione constabit, quae ex eo ducitur, quod omnes res creatae Dei instrumenta sunt; quod quidem Thomas saepissime cum replicet, ut ex ejus testimoniis jam productis potest intelligi, illud solummodo ejusdem in medium profertur: " Sub Deo autem, qui est primus intellectus et volens, ordinantur omnes intellectus et voluntates, sicut instrumenta sub principali agente „ (2). Qua veritate constituta, sequens syllogismus ex dialecticae praeceptis conficitur: Instrumenta non agunt, nisi a principali agente ad opus phisice moveantur; at vero omnes causae secundae Dei instrumenta sunt;

(1) 1. 2. q. 79. a. 2. — (2) III. Cont. Gent. c. 147.

quapropter causae secundae non agunt, nisi a Deo phisice moveantur, applicenturque ad agendum. Eam ob causam noster Doctor, ut alibi dictum est (1), aperte palamque enunciat: “ Quod Deus movet ..... res ad operandum, quasi applicando formas et virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum. „ Quae quidem verba praemotionem quantum ad omnes causas secundas evincunt.

85. Est tamen peculiaris ratio, quae quidem quinto loco proponitur, quaeque necessitatem phisicae motionis praecipue quantum ad causas liberas statuit. Ex earum autem indifferentia derivatur; indifferens enim atque determinatum inter se opponuntur, quemadmodum album et nigrum; nam indifferens indeterminatum est. Ex quo citra dubium fit, a causa indifferente, seu indeterminata, nullam determinatam actionem defluere posse, nisi ipsa ab aliquo jam determinato, id est qui sit in actu, ad eam emittendam impellatur. Qua de re Thomas ait: “ Quod autem indifferenter se habet ad multa, non magis unum eorum operatur quam aliud: unde a contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid quod determinetur ad unum (2). „ His rebus accedit, id quod est indifferens, esse in potentia; cumque nihil agere queat, nisi ut est in actu, seu nisi efficiatur principium in actu secundo operativum, ut jam est probatum; planum est, causam indifferentem agere non posse, nisi ab aliquo, qui sit in actu, ad operationem determinetur. Jam vero voluntatem creatam tum ad agendum et non agendum, tum ad agendum hoc aut illud, indifferentem

(1) Cap. 11. — (2) III. Cont. Gent. c. 2.

esse, ambigere nemo potest: quapropter eamdem Dei impulsione, seu determinatione, indigere, ut actum determinatum edat, est perspicuum. Eam ob rem discrimen indicans Thomas, quod hac de re est voluntatem divinam inter et humanam, asserit, istam absque ope alterius causae se determinare, hanc vero, quod contingens est, ab alia causa externa determinandam esse, ut actum emittat: “ Causa quae est ex se contingens (inquit) oportet ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam (1). „ Nec illud quispiam objicere potest, ut voluntas ad primam finis appetitionem determinetur satis superque esse; ea vero posita alia motione eamdem non egere, ut consequentes actus emittat. Etenim praeterquam quod rationibus omnibus hactenus propositis, id falsum evincitur, praeterea apertissime id est contra Thomae doctrinam, qui omnes voluntatis operationes ad Deum referendas esse asseverat, propterea quod ipse earumdem est causa. Praeclarum Aquinatis testimonium producatur: “ Oportet omne multiforme, et mutabile, et deficere potens, reduci sicut in principium in aliquod uniforme, et immutabile, et deficere non valens. Omnia quae in nobis sunt, inveniuntur esse multiplicia, variabilia et defectibilia. Patet enim quod electiones nostrae multiplicitatem habent, cum in diversis et a diversis diversa eligantur. Mutabiles etiam sunt, tum propter animi levitatem, qui non est firmatus in fine ultimo, tum etiam propter mutationem rerum, quae

(1) 1. p. q. 19. a. 3. ad 5.

nos extra circumstant. Quod autem defectibiles sint, hominum peccata testantur. Divina autem voluntas uniformis est, quia unum volendo omnia alia vult; et immutabilis, et indeficiens est, ut ostensum est. Oportet ergo *omnium voluntatum et electionum motus in divinam voluntatam reduci*, non autem in aliquam aliam causam, *quia solus Deus nostrarum voluntatum et electionum causa est* (1). „ Quae quidem aperta cum sint, explanatione non egent.

86. Itaque septima tandem ratio proponitur, ex eo ducta, quod penes Deum potestas est atque dominatus omnium operationum voluntatis nostrae; nam ut D. Augustinus ait: " Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? (2) „ Proponitur vero ratio ista sequente ratiocinatione: Deus perfectum habet dominium atque supremum in voluntatem nostram, quemadmodum in alias res creatas: quod quidem planum est, ab adversariisque certe probatur. Jam vero neque simultaneo influxu, neque morali motione, dominium istud potest explanari. Etenim quod ad primum spectat, eo Deus cum causa creata agit, sed de eadem non disponit; propterea quod eam ad operationem non applicat, quod certe perfecti dominii rationem excludit. Re vera dominium dicitur, facultas utendi re tamquam sua ad omnes usus a lege non prohibitos; at vero re aliqua uti, idem esse ac eam ad operationem applicare, Thomas aperte asserit: " Respondeo dicendum quod usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem, unde

(1) III. Cont. Gent. c. 91. — (1) Enchir. c. 98.

èt operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus ejus, sicut equitare est usus equi, et percutere est usus baculi (1). „ Ex quo profecto fit, simultaneo influxu, quod voluntatem non tangit, supremum Dei dominium in eamdem stare non posse. Quod quidem de morali quoque motione esse dicendum, ex eo facile potest intelligi, quod ea Deus tantum moraliter voluntatem ad agendum applicat, id est eam consilio, suasionibus allicit, non tamen phisice impellit: quam ob rem quamquam dominium morale, id est politicum et civile efficit, non tamen absolutum et supremum, ut Deo convenit, non ex subordinatione morali, sed ex natura causae creatae. Itaque planum est, ut supremum Dei dominium stet in voluntatem nostram, ea ipsum uti, id est, secundum Thomae doctrinam, eam ad operationem applicare, seu phisice movere, esse dicendum. Qua ex re atque ex rationibus supra propositis, aliisque Thomae testimoniis in praecedentibus capitibus prolatis, facili negotio quisque intelligere potest, non modo nostrum Doctorem phisicae praemotionis doctrinam clare tradidisse, verum etiam eam tradidisse sapientissime: ita ut qui veritati obsistere non vult, eamdem probare, tuerique cogatur.

(1) 1. 2. q. 16. a. 1.

CAPUT XV.

Nonnullae difficultates e Thoma derivatae solvuntur.

87. Praecipuum producitur Thomae testimonium, quod phisicae praemotionis adversarii Thomistis opponunt. — 88. Imprimis quaedam praenotantur. — 89. Deinde testimonium productum enucleatur, et difficultas exsolvitur. — 90. Aquinatis testimonium alterum proponitur, atque id quod ex eo colligendum adversarii arbitrantur. — 91. Testimonium in medium adductum exalanatur, et objecta diluuntur. — 92. Adversariorum instantia ex praecedente testimonio derivata. — 93. Respondetur primum, fundamentum adversariorum evertendo. — 94. Deinde difficultas ipsa directe profligatur.

87. Nonnulla extant testimonia nostri Doctoris, quae prima fronte doctrinae phisicae praemotionis refragari videntur, re vera tamen non modo eidem non repugnant, verum etiam eam asserunt atque statuunt: quam ob rem aliis productis de quibus nulla est disceptatio, heic ista paucis explanare, est necesse. Quod quidem nullius esse laboris facile quisque intelligit, quum eadem a praemotionis adversariis millies objecta, millies quoque fuerint diluta. Et certe si Aquinas tam aperte (ut ex hactenus dictis est perspicuum) phisicam praemotionem asseruit, eidem repugnantia saepe eum protulisse, ut adversarii asseverant, res ejusmodi est ut nulla fides ei possit adjungi; nisi forte Doctorem

Angelicum saepissime in suis operibus pugnantia loqui, quispiam velit asserere. At ne tempus perperam teratur, testimonia ab adversariis opposita expendantur. Imprimis vero illud in medium adducatur, quo iidem maxime utuntur; et quod eam ob causam paulo latius exponere est necesse. Itaque Thomas sibi illam difficultatem proponens: " Deus non est causa nisi bonorum..... Si ergo a *solo Deo* voluntas hominis moveretur, numquam moveretur ad malum; „ eamdem illis famosis verbis profligat: " Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universali motione homo non posset aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur (1). „ Quibus ex verbis adversarii colligi posse arbitrantur, Aquinatis doctrinam phisicae praemotioni repugnare. Etenim phisica motio, inquiunt, in eo sita est, quod Deus non modo ad universale bonum, verum etiam ad peculiaria bona, quae media sunt ad illud obtinendum, hominis voluntatem permoveat, seu determinet; quae quidem motio, seu determinatio, voluntatis ipsius operationem saltem natura praecedat. At vero secundum productum Thomae testimonium, nonnullis casibus exceptis, in quibus Deus impellit *specialiter ad aliquid determinate volendum, sicut in iis quos movet per gratiam,* quod ad peculiaria bona attinet,

(1) 1. 2. q. 9. a. 6.

hominis voluntas a nemine movetur, seu determinatur; ait enim Thomas: " Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. „ Itaque planum est, phisicam praemotionem, quae non modo ad actus bonos ordinis supernaturalis, aut ad bonum universale, necessaria dicitur, verum etiam ad omnes actus ordinis naturalis, sive bonos sive malos, et quantum ad quaevis peculiaria bona, ob rationem causae primae, quae a Deo tolli nequit, et ob indifferentiam voluntatis creatae, rejici a sancto Thoma. Et haec quidem adversariorum difficultas.

88. Antequam vero ea dissolvatur, illud intento animo ponderandum, aliud esse voluntatem agere, seu actum edere, aliud eam se movere; agere namque ea toties dicitur, quoties volitionis actum emittit, non dicitur vero apte se movere, nisi cum ex actu praecedente transit ad consequentem, ut puta cum ex finis volitione, se applicat ad appetenda media, quibus eum ipsa consequatur. Qua quidem ex re sequitur, 1°. in prima finis appetitione, ut cum quis primo rationis instanti se ad Deum convertit, voluntatem, quamquam agat, seu actum emittat, proprie tamen non se movere; etenim quantum ad volitionem istam solummodo in potentia ea est, quum nullum actum praecessisse ponatur, nihilque moveat, nisi secundum quod est in actu. Sequitur 2°. finis appetitione posita, voluntatem ad peculiaria bona quae ad eum obtinendum perducunt, posse se movere; ea enim appetitione posita, voluntas in actu cum sit, ex eo ad alium actum potest transire; quod apte dicitur se movere, ut supra dictum est. Sequitur 3°. cum novus finis intenditur, quando-

que voluntatem se movere, ut cum ex aliquo praecedente actu, formaliter aut virtualiter permanente, ad alium se applicat; qnandoque vero non se movere, sed potius moveri a Deo, ut puta cum peccator gratia operante subito movetur ad poenitentiam, de qua numquam cogitavit. Itaque apte congruenterque loqui si volumus, dicendum est, in prima volitione finis, seu boni universalis, voluntatem non se movere, sed a Deo moveri; quod spectat ad media, seu peculiaria bona, eam se movere, id est ab actu praecedente se applicare ad consequentem; quod tamen non excludit, quin a Deo ea moveatur, a quo (ut Thomas inquit) habet hoc ipsum quod seipsam moveat. Tandem cum novus finis intenditur, quandoque eam se movere, quandoque non se movere; propterea quod ut nullus actus istius novi finis appetitionem praecedat, potest contingere. Ea autem omnia a Thoma, in ipsa eadem quaestione nona, quae objicitur, et alibi passim, derivata sunt: sed ad propositam difficultatem veniamus.

89. Atque ut dilucide ea solvatur, difficultas quam sibi proponit Thomas, atque testimonium, quo eam is profligat, quodque ab adversariis Thomistis opponitur, ordinatim explanentur. Itaque Thomas ait: “ Deus non est causa nisi bonorum. Si ergo *a solo Deo* voluntas hominis moveretur, numquam moveretur ad malum. „ In qua difficultate illa praecipue verba, *a solo Deo* sunt notanda; ea enim aperte demonstrant, in eo potissimum, secundum Aquinatis mentem, situm esse difficultatis nodum, quod sola Dei operatio malum effectum edere nequit. Quam ob rem difficultatem exsolvens, Thomas dicit, quandoque a solo Deo voluntatem moveri, atque proinde eam non peccare, ut

accidit in prima finis volitione, saltem in primo instanti initiativo, ut ajunt, aut in volitione boni universalis. Quod quidem illa verba adsignificant: “ Deus movet voluntatem hominis ad universale objectum voluntatis, quod est bonum. „ Postea vero subdit, quandoque a solo Deo voluntatem non moveri, sed sub divina motione eam se movere, et determinare; idque in appetitione mediorum, seu peculiarium bonorum, quae finem obtinendum respiciunt, contingere. Quam quidem ob rem in eorum appetitione voluntatem posse peccare, nemo est qui non videat; nam quamquam a Deo ea movetur, quia tamen ea quoque se movet, idcirco in ejus operatione deformitas quaedam potest reperiri; quemadmodum reperiri potest in operatione pueri scribentis, cujus manus a scriba moveatur. Atque id profecto significant illa verba: “ Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. „ Tandem Aquinas asserit, in novi finis appetitione interdum contingere, ut voluntas a solo Deo moveatur, ut cum gratia operante peccator ad poenitentiam subito impellitur: atque tunc voluntatem peccare non posse, saltem in primo instante initiativo, ut supra de prima motione ab bonum universale dictum est, omnibus est perspicuum: “ Sed tamen interdum (inquit) specialiter (id est motione quae suppleat actum praecedentem) Deus movet aliquos ad aliquid deteminate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur. „ Quae postrema verba attentius consideranda sunt; ea enim apertissime ostendunt, praesentis testimonii explanationem omnino esse secundum mentem nostri Doctoris. Re vera infra de

gratia loquens, is discrimen statuit, inter divinam operationem, a qua voluntas movetur et non movet, atque operationem eamdem, a qua movetur voluntas, quae etiam movet: “ Operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: et secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animae, et secundum hoc dicitur gratia cooperans (1). „ Quo ex testimonio satis leviter intelligi potest, Thomistas opinione non falli, cum Dei motionem ad bonum universale, de qua in Thomae verbis quae objiciuntur, eam motionem intelligunt, a qua movetur voluntas, quae se non movet; motionem autem ad peculiaria bona, eam esse dicunt, a qua movetur voluntas, quae se movet. Itaque adversariorum error in eo positus est, quod illud ejusdem Aquinatis intelligere nolunt: *Moveri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio.* Caeterum quidquid sit de isto Thomae testimonio, quod unicum est in omnibus ejus operibus, quod hac de re quandam obscuritatem praeseferat, illud in dubium vocari nequit, non modo ad bonum universale, verum etiam ad quaelibet peculiaria bona Deum phisice voluntatem movere, Angelicum Doctorem apertissime asseverasse (2). Praeterea praeclara testimonia, ex eodem deprompta, atque hactenus producta, phisicam Dei motionem generatim asserere, atque egregie stabilire, nemo negare potest: quapropter etsi testimonium quod oppo-

(1) 1. 2. q. 111. a. 2. — (2) Cf. III. Cont. Gent. c. 89.

nitur, in duas sententias derivari posse ponatur, in laevam tamen partem ab adversariis illud detorqueri est perspicuum; propterea quod ita ab iisdem exponitur, ut constanti Thomae doctrinae repugnet. Sed de prima difficultate satis superque dictum est.

90. Deinceps secunda proponatur, quae quidem una cum praecedente nuperrime ab adversariis phisicae praemotionis Thomistis objecta, in illo Thomae testimonio connititur: " Ad providentiam divinam non pertinet naturas rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus necessarii, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur. (1) „ Ex quo insigni testimonio adversarii certe nimis curiosa ratiocinatione cogere adnituntur, Thomam Aquinatem voluntatis determinationem ad unum rejecisse. Etenim illa verba, *sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet*, nihil aliud significare asserunt, nisi, Deum voluntatem movere, sed ad unum non determinare; propterea quod (inquiunt) ea verba *ex necessitate, ad unum*, eamdem rem adsignificat, atque Thomas ob quamdam copiam loquendi, utrumque dicendi modum adhibuit, seu ut melius quid sit non movere ex necessitate is explanaret, addidit etiam *ad unum*,

(1) 1. 2. q. 10. a. 4.

dicens, non ex necessitate ad unum determinat. Itaque secundum adversariorum explanationem, Thomas in producto testimonio phisicam praemotionem, seu determinationem, rejecit.

91. Verum difficultati isti facile satis fit, dicendo, D. Thomam non negasse, Deum voluntatem ad unum determinare, sed negasse, Deum voluntatem ad unum ex necessitate determinare: quod quidem qui non intelligit (parcant adversarii) vix nomen philosophi meretur. Etenim vel communi sensu facili negotio quisque percipit, quemadmodum cum dico, Cajum non velociter currere, me non dicere, Cajum non currere, at dicere, eum currere, sed non velociter; ita cum Thomas dicit, Deum voluntatem ex necessitate ad unum non determinare, eum non dicere, nullo modo ad unum determinare, at determinare quidem, sed non ex necessitate. Neque certe Thomas aliam doctrinam tradidisse potest dici; is enim ait, ut in capite praecedente dictum est: " A contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid per quod ad unum determinetur. „ Quam ob rem quum in ipso testimonio quod opponitur, voluntatem esse activum principium indifferenter se habens ad multa, apertissime asseveret, luce clarius est, secundum ejus doctrinam, voluntatem eamdem ab aliquo ad unum esse determinandam, ut agere queat. Ex quibus quidem omnibus in promptu est, non modo productum Thomae testimonium phisicae praemotioni non repugnare, verum etiam eam asserere, egregie stabilire, ab eaque vim adversariorum propulsare; quippe quia modum eamdem atque libertatem componendi enunciat apertissime: " Omnia movet secundum eorum conditionem;

ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequantur effectus necessarii, ex causis autem contingentibus sequantur effectus contingentes (1). „

92. Sed instant adversarii: Necessitas nihil est aliud, nisi determinatio ad unum; quocirca praecedente Thomae testimonio sequens argumentum confici potest. Deus unamquamque rem movet secundum ejus conditionem; sed peculiaris voluntatis conditio est, ut non sit determinata ad unum; ergo omnino est necesse, Deum eam sic movere, ut ad unum non determinet. Ad istam argumentationem firmandam, illud Aquinatis praeclarum nuper ab adversariis est productum: "Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem; in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus. „ Ex quo iterum adversarii cogere posse arbitrantur, divinam determinationem ad unum, quod ad voluntatem attinet, omnino rejici a Thoma Aquinate; quippe quia is aperte ait: " Determinatio actionis et finis, in potestate liberi arbitrii constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus. „

93. Verum tota adversariorum ratiocinatio falso innititur fundamento, quod proinde imprimis est evertendum, ut ea funditus corruat. Itaque illud omnino

(1) Cf. caput primum et vicesimum hujus opusculi, in quo duplex modus Dei motionem hominisque libertatem componendi traditur, adversariorumque objecta diluuntur.

falsum, quod ab adversariis asseritur, necessitatem nihil aliud esse nisi eam deteminationem ad unum, quae phisica motio, seu determinatio, a Thomistis nuncupatur. Etenim determinatio ad unum duplicis est generis: primi generis determinatio est ex parte potentiae motae, quae naturali necessitate ita est devincta, ut in unum necessario feratur. Ea naturalis dicitur, atque in brutis animantibus reperitur; quae quidem cum sensibus singulares species solummodo recipiant, atque vi plurium collativa (ut est apud Thomam) omnino careant, ad unum a natura determinata sunt. Sed eam determinationem in voluntate non esse, est perspicuum; nam voluntas activum principium est (ut Thomas inquit) indifferenter se habens ad diversa. Determinatio vero ad unum secundi generis ea dicitur, quae est a principio externo, scilicet a Deo, et motio est transiens, non tamen quidpiam permanens in ipsa potentia mota. Itaque ea determinatio ex parte potentiae esse non dicitur, quamquam potentiam eamdem tangit, sed ex parte principii externi; eâque potentia ad multa indifferens, ad unum applicatur, impellitur, determinatur; idque planum est, propterea quod ex contingente (ut inquit Thomas) nullus ex se sequitur effectus. Illud autem peculiare est hujus determinationis, quod si in potentia quam movet, primam reperit, potentiam eamdem ex necessitate determinat, sin minus, ex necessitate non determinat, sed ita impellit ad unum nt potentiae motus liber permaneat. Ejus rei ratio est, quam in testimonio quod opponitur, Thomas subjicit: *Ad providentiam divinam non pertinet naturas rerum corrumpere, sed versare: unde omnia movet secundum eorum conditionem.* Itaque discrimen inter

utramque determinationem ad unum maximum est, quod qui ignorant, phisicam praemotionem cavillationibus impugnant. Thomas vero illud aperte innuit: " Animalia bruta (inquit) moventur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum, secundum modum formae particularis, cujus conceptionem sequitur appetitus sensitivus: sed Deus movet quidem immutabiliter voluntatem, propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed *propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa,* non inducitur necessitas, sed manet libertas (1). „ Quibus ex verbis omnibus in promptu est, transeuntem Dei determinationem, seu motionem, in brutis animantibus necessitatem inducere, quia naturalem determinationem reperit, in voluntate autem non inducere, sed in ea manere libertatem, quia quamvis ea immutabiliter moveatur, ad unum tamen a natura determinata non est, *sed indifferenter se habet ad diversa.* Itaque Thomas inter utramque determinationem discrimen statuit. Quibus ex rebus atque auctoritatibus facili negotio intelligitur, difficultatis propositae fundamentum omnino falsum esse; non enim determinatio ad unum de qua Thomistae loquuntur, ea est qua potentia naturali necessitate vincta, ad unum semper determinata permanet, sed ea, qua potentia transeunter ad agendum impellitur, secundum ejus naturam. Quam porro determinationem nihil aliud esse quam determinationem ex necessitate, nemo nisi jocari velit, potest asserere.

(1) Q. 6. de malo a. unic. ad 3.

94. Itaque difficultas proposita facile dissolvitur, respondendo, unamquamque rem secundum ejus conditionem, seu naturam, Deum quidem movere, ita ut (ut Thomas inquit) in causis necessariis necessitas, in causis vero liberis inducatur libertas; at voluntatis conditionem esse, ut non sit ad unum determinata a natura, non tamen ut a Deo transeunter non determinetur. Ex quo citra dubium fit, eam naturali determinatione a Dei impulsu, seu motione, devinci non posse, propterea quod ad divinam providentiam non pertinet rerum naturam corrumpere; sed tamen omnino ab impulsione eadem esse transeunter ad unum determinandam, quia ea indifferens est, a causaque indifferente nullus sequitur effectus, nisi ea determinetur. Quibus ex rebus sat leviter intelligi potest, quid sibi Thomas velit in postremo testimonio quod objicitur. Dicit enim, ut saepissime replicat, Deum in rebus omnibus agere, secundum earum conditionem: ex quo quidem, et jure optimo infert, res naturales, quod naturali determinatione vinciuntur, ad unum a Dei motione ex necessitate applicari, voluntatem vero, quod indifferens est ad multa, ita ad unum moveri, ut libera permaneat. Re vera in numero praecedente illud ejusdem praeclarum productum est: " Deus movet quidem immutabiliter voluntatem, propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas „. Quo in testimonio facile quisque perspicit, eam doctrinam Thomam tradere, quam in eo quod opponitur, enunciat.

CAPUT XVI.

Aliae difficultates ex eodem S. Doctore profligantur.

95. Nonnulla Aquinatis testimonia, a praemotionis adversariis nuperrime Thomistis opposita, producuntur. — 96. Adversariis respondetur, eadem testimonia explanando. — 97. Aliud Thomae testimonium in medium adducitur, atque exponitur id quod ex eo ab adversariis colligitur. — 98. Profligatur difficultas, adversariorum aequivocationem aperiendo, Thomaeque testimonium explicando. — 99. Alia adversariorum difficultas, e Thoma derivata, proponitur. — 100. Eidem difficultati respondetur. — 101. Antiqua difficultas, nuper repetita, in medium adducitur, profligaturque; et praesens caput concluditur.

95. Cum iis difficultatibus quae in superiore capite sunt exsolutae, aliae ab adversariis phisicae motionis nuperrime propositae sunt, quae quidem in falsa interpretatione quorumdam testimoniorum Thomae Aquinatis connituntur, quaeque proinde hic profligandae sunt, ipsa testimonia eadem enucleando. Itaque imprimis replicant adversarii, Thomam Aquinatem aperte palamque enunciasse, actionis determinationem relinqui in potestate rationis et voluntatis; quod quidem esse non posse opinantur, si ad operationem Deus voluntatem applicet, seu praedeterminet: qua ex re nullo modo Deum phisice praemovere voluntatem, cogendum esse asseverant. Ea adversariorum difficultas in illud Thomae supra productum innititur: “ Determinatio

actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus „. Quod quidem alio insigni testimonio placet confirmare; id enim adversariis ingratum esse nequit. Thomas itaque alibi aperte ait: " Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis permaneret, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud (1) „. Quibus ex verbis colligi posse videtur, Dei determinationem quod ad actus voluntatis attinet, hominis libertatem penitus convellere; dicit namque Thomas, hominem liberum non esse, nisi ad opus suum ipse se determinet.

96. Verum doctrinam istam quam longissime a Thomae mente distare, ex rebus jam disputatis facile potest intelligi; Aquinas enim, ut ex ejusdem verbis in praecedentibus capitibus productis est perspicuum, voluntatem, quod contigens est, Dei determinatione indigere, ut actum emittat, apertissime tradit. Quapropter, ut jam alibi dictum est, illud discrimen ipse constituit inter divinam humanamque voluntatem, quod haec contingens cum sit, ab alio est determinanda, ista vero, cum ex se necessitatem habeat, ex se determinatur: " Dicendum (inquit) quod causa quae est ex se contingens, oportet ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam (2) „. Itaque iisdem difficultatibus eamdem responsionem, iisdemque testimoniis eamdem explanationem opponens, replico in eo esse positum adversariorum errorem, quod intelligere nolunt, moveri ex se, non repugnare ei quod

(1) 2. Sent. dist. 28. q. 1. a. 1. — (2) 1. p. q. 9. a. 3. ad 5.

moveter ab alio. Aquinas autem aliter opinatus est, ut illud ejusdem praeclarum testificatur: " Dicendum quod moveri voluntarie est moveri ex se, idest a principio intrinseco; sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco, *et sic moveri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio* (1) „. Et certe voluntas se movet, se determinat, habetque suae operationis dominium; at nequit ea esse primum movens, primum determinans, neque ejusdem dominium potest esse supremum; cum ea omnia Deo, qui est primum liberum, solummodo conveniant: quam ob rem non ita in voluntatis potestate, sui actus determinatio esse potest, ut determinatio Dei primi moventis, primi determinantis, supremique Domini omnium rerum excludatur. Eam ob causam noster Doctor postquam dixit, actionis determinationem in potestate liberi arbitrii constitui, ut ei sui actus dominium remaneat, subdit statim: *Licet non ita sicut primo agenti;* quae verba ejusdem mentem hac de re satis superque declarant.

97. Sed aliud testimonium ab adversariis opponitur, quod quidem Dei determinationi repugnare, vehementius inclamant. Itaque illud in medio ponatur, atque id, quod ex eo derivare, sibi iidem despondent: " Potentia rationalis (inquit Thomas) se habet ad opposita in his quae ei subsunt, et haec sunt illa quae per ipsam determinantur: non autem potest in opposita illorum, quae ei sunt ab alio determinata. Et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi. Potest autem in oppositum eorum quae ipsa

(1) Loc. cit. q. 105. a. 4. ad 2.

sibi determinat, sicut sunt ea quae ordinantur in finem ultimum quorum electio ad ipsam pertinet (1) „. Ex eo testimonio ab adversariis colligitur, phisicam praedeterminationem, secundum Thomae doctrinam, hominis libertatem funditus evertere; idque ratiocinatione sequente adnituntur evincere. Aquinas, inquiunt, apertissime asserit, in iis rebus voluntatem liberam non esse, ad quae Dei impressione ea determinatur; ait enim “ Et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod divina impressione determinatur „. Jam vero phisica praedeterminatio nihil est aliud nisi quaedam impressio, qua voluntas, quae indifferens est, a Deo determinatur ad peculiarem actum emittendum. Itaque planum est, secundum Thomae doctrinam, phisicam praedeterminationem hominis libertatem convellere. Et haec quidem adversariorum ratiocinatio.

98. At vero eam maxima aequivocatione laborare ex facili demonstrari potest; cum enim quis animo contemplatur, sine labore reperit, duplicem Dei impressionem esse admittendam: unam quidem, quae primam respicit naturae institutionem, alteram vero, qua natura in actu primo constituta, ad actum secundum impellitur, seu determinatur. Porro autem prima impressio habet esse permanens in natura, cujus est quaedam proprietas; atque id ea efficit, ut quae eâdem sunt obsignata, seu ad aliquid determinata, ad illud ea libera non sint: ista autem divina impressio, phisica praemotio, seu praedeterminatio, non est, quae quidem actio est transiens, ut saepe replicatum fuit. De eadem tamen in testimonio producto nostrum Do-

(1) 4. dist. 49. q. 1. a. 3. ad 1.

ctorem loqui, nullo negotio intelligitur; nam postquam is ait: " Voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur „; mox rem explanans subdit, " Scilicet in oppositum finis ultimi „: quae quidem verba de impressione eum loqui, quae naturae respicit institutionem, apertissime ostendunt; quum ad finem ultimum a natura voluntas sit determinata. Altera autem divina impressio, qua natura jam constituta in actu primo ad actum secundum determinatur, est phisica motio, non quidem permanens, sed transiens, qua Deus intrinsecus potentiam perficit, ut ea actum suum edere, queat. At vero eam impressionem hominis libertatem non convellere, immo potius eamdem efficere, omnibus Aquinatis testimoniis atque rationibus, hactenus citatis, egregie stabilitur. Itaque adversariorum aequivocatio ex eo defluere perspicitur, quod ii nullum discrimen esse arbitrentur, inter id quod a Deo fit in naturae institutione, atque id quod ab eo fit, ut natura instituta exeat in actum. At Thomas discrimen istud statuit, probavitque, ut ex illis verbis alibi productis, est perspicuum: " Virtus naturalis (inquit) quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quaedam forma, habens esse ratum et fixum in natura „: quae verba ad primam impressionem, quae naturae institutionem respicit, profecto referuntur. Postea vero secundam explanans, subdit: " Sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis (1) „.

(1) Q. 3. de pot. a. 7. ad 7.

Quod quidem praeclarum testimonium, ex quaestione tertia de potentia depromptum, ita a prima secundam impressionem secernit, proindeque ita dilucide phisicam praedeterminationem asserit, ut ipse Suarezius, quomodo alibi dictum est, negare non potuerit, Thomam Aquinatem in quaestione eadem phisicae praemotionis doctrinam diserte tradidisse.

99. Sed opponent fortasse adversarii, alia non deesse Thomae testimonia, quae quidem phisicae praemotioni omnino repugnant, atque praecipuum illud esse: “ Dicendum quod movens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota ejus possibilitas moventi subdatur (1) „. Quibus ex verbis illud argumentum in forma dispositum licet derivare: Tum movens ex necessitate motum generat, cum mobile omnino sibi subjicit; sed divina praemotio sibi omnino subdit voluntatem; ergo in ea ex necessitate motum generat. Itaque secundum Thomae doctrinam, hominis voluntas, divina motione posita, libera non erit: quod quidem absurdum esse, nemo non videt.

100. Verum difficultas ista facile dissolvitur; movens enim motum ex necessitate generat, si potentiam ad oppositum in mobili convellat; at si eam potentiam non evertat, motum gignit liberum, ut est perspicuum. Itaque satis non est, mobile moventi subjici, ut dici queat hoc in isto motum necessarium procreare; sed praeterea necesse est, sic mobile subdi moventi, ut in illo potentia ad oppositum penitus evertatur: quod

(1) 1. p. q. 82. a. 2. ad 2.

hic certe non contingit. Re vera phisica Dei motio quamquam voluntatis capacitatem excedit, atque proinde voluntatem eamdem sibi omnino subjicit; ab ea tamen potentiam ad oppositum non modo non tollit, verum etiam efficit atque servat; propterea quod Deus causa est libertatis, cum actualis, tum potentialis, ut in peculiari capite statutum fuit (1). Quam ob rem noster Doctor ait: " Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariae, *sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem* (2) ". Sed de difficultate ista satis dictum est.

101. Deinde veniamus ad antiquam difficultatem, nuperrime repetitam; quae quidem quamquam iis ex rebus quae in capite decimotertio hujus opusculi sunt disputatae, facile profligatur, quoniam tamen ab adversariis ea saepius replicatur, denuo est exsolvenda. Itaque dicunt adversarii, Thomam Aquinatem numquam praemotionis, seu praedeterminationis, nomen usurpasse, ad Dei influxum in hominis voluntatem significandum: qua ex re cogendum esse asseverant, eum phisicae praemotionis doctrinam numquam tradidisse.

(1) Cf. caput octavum, in quo etiam Thomae rationibus statuitur, illud contradictionem involvere, voluntatem a Deo ex necessitate moveri, judicii indifferentia permanente. — (2) 1. p. q. 83. a. 1. ad 3.

Verum 1.° ex eo non licet inferre, doctrinam aliquam novam esse, et alienam a mente scriptorum qui eam tradiderunt, quod nomen quo postea designata fuit, iidem non usurparunt. Ejus rei exemplum perspicitur in voce *consubstantialis*, quam ad significandam unitatem naturae Verbi divini cum Patre, adhibendam non esse, Ariani acerrime contendebant ideo, quia a Sacris Scriptoribus numquam ea usurpata fuerat. At vero Ecclesia, quae secundum divina eloquia columna est veritatis, vocem eamdem adhibendam esse solemniter decrevit; nam etsi novum nomen videri potuerit, doctrina tamen ab eo designata pervetusta erat, atque a cultoribus sapientiae catholicae semper probata. 2.° Illud in disceptationem non vocatur, num Thomas praemotionis, praedeterminationisve, nomen usurparit; sed potius, an ejusdem rei doctrinam tradiderit. 3.° Praemotionis nomen non adhibuit Thomas, propterea quod motio praemotio est, ut alibi fusius dictum, atque explanatum fuit. Hinc 4.° quoties Thomas, de phisisa motione loquens, Deum hominis voluntatem, aut causas secundas generatim, movere asserit, toties phisicae praemotionis doctrinam tradit. 5.° Thomistae ab adversariis non petunt, ut praemotionis, praedeterminationisve, nomen ab iisdem adhibeatur; sed ut doctrinam ii probent, tueanturque, eo nomine designatam. Immo 6.° a Thomistis asseritur, aptius congruentiusque usurpari voces *motionis phisicae* et *determinationis ad unum*, aut *applicationis potentiae ad actum*, quemadmodum fit a Thoma Aquinate. Tandem 7.° illud saltem Thomistae volunt, doctrinam de phisica motione, seu de divino influxu, tradi ab adver-

sariis ipsis Thomae verbis; ita enim continget, ut nomine praemotionis amoto, quod dissidium quoddam in mentem revocat, Angelici Doctoris doctrina ab omnibus ediscatur. Quibus quidem ex rebus atque rationibus satis leviter intelligi potest, illud non esse probandum, quod quidam philosophus germanus caeteroquin clarissimus, nuperrime scripsit: " Quod ad Doctorem Angelicum attinet, certum est eum hanc quaestionem, quam sequiores auctores tanta animorum contentione agitabant, ex professo non tractasse; sed principia dumtaxat generalia et inconcussa, quibus immediatus concursus divinus cum actionibus liberis creaturarum defenditur, stabilisse ". Etenim non modo principia generalia, quibus divinus concursus generatim defenditur, Aquinas statuit; verum etiam principia peculiaria, quibus concursus praevius egregie stabilitur, tum quod ad causas necessarias spectat, tum quod attinet ad causas liberas, ut ex apertissimis testimoniis hactenus productis est perspicuum. Neque illud probandum, Thomam hanc quaestionem ex professo non tractasse; si enim de phisica motione sermo sit sub nomine praemotionis, certe eam Aquinas non pertractavit; at de nomine disceptandum non est, sed potius de re: de qua quidem sub nomine motionis, aut operationis Dei in omni operante, eum ex professo disseruisse, praecipuae ejusdem quaestiones, in presente opusculo citatae, testantur. Itaque quae in hoc capite sunt disputata, merito optimoque, jure concluduntur, asserendo, non modo nullum esse Thomae testimonium quod phisicae Dei motioni repugnet, verum etiam integras esse

ejusdem demonstrationes, quae motionem eamdem, asserunt, statuunt, atque tuentur (1).

(1) Cf. Thomae quaestiones, citatas in capite decimo, undecimo, et sequentium, in quibus mens ejusdem hac de re aperitur.

CAPUT XVII.

Solvuntur aliae difficultates.

102. Difficultatibus ex libertatis laesione derivatis generatim respondetur. — 103. Proponitur solviturque prima peculiaris difficultas, ex eo deducta, quod phisica praemotio e voluntate indifferentiam tollit. — 104. Evolvitur instantia, quae dicit, praemotione posita voluntatem non posse non agere. — 105. Secundae instantiae respondetur, quae distinctionem sensus compositi et divisi rejiciendam dicit. — 106. Difficultas ex eo ducta, quod ad peccati actum praemovere Deus nequeat, proponitur, enodaturque Thomae doctrina.

102. Duae sunt praecipuae difficultates, ob quas adversarii nulla ratione possunt impelli, ut phisicae praemotionis doctrinam probent ac tueantur: prima est, quod impossibile existimant, voluntatem a Deo moveri, et liberam permanere; secunda vero, quod phisica motio ad omnes actus, Deum peccati auctorem efficere videtur. Itaque quamquam eae difficultates praeoccupatae sunt, in peculiari tamen capite easdem discutere, atque dissolvere placet. Et imprimis quod ad primam difficultatem spectat, ea facile profligatur,

quae sunt in capite octavo disputata, in memoriam revocando; ibi enim probatum est, illud contradictionem involvere, voluntatem a Deo necessario moveri, judicii indifferentia permanente. Re vera quoniam modus appetendi, secundum thomisticam doctrinam, modum cognoscendi consequitur, ajente Aquinate: " Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet; „ perspicuum est, voluntatem ex necessitate ferri in objectum non posse, quod sub judicii indifferentia ei ab intellectu demonstratur. Qua ex re pronum est colligere, quacumque Dei motione voluntas ad agendum impellatur, eam liberam manere, quoad judicii indifferentia permanet. Jam vero phisica applicatio, seu impulsio, voluntatis ad suam operationem, judicii indifferentiam non convellit, ut patet; itaque planum est, eam hominis libertatem non evertere. Praeterea Deus, ut etiam dictum est, libertatis cum potentialis tum actualis est causa: cun enim ipse efficiat totum ens, id est sit causa entis, omniumque modorum ejus; propterea quod ejus efficientia maxima cum sit, non modo ipsam entis substantiam, verum etiam omnes ejus modos et differentias attingit; planum est, eum tum voluntatis, tum liberae ejusdem determinationis, esse causam. Qua de re est illud Thomae praeclarum, supra productum: " Deus est prima causa movens et naturales causas et voluntarias: et sicut naturalibus causis movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariae; *sed potius hoc in eis facit* (1). „ Ex quibus verbis atque rationibus

(1) 1. p. q. 83. a. 1. ad 3.

omnibus profecto in promptu est, non modo divinam motionem libertatem non laedere, verum etiam eamdem efficere. His rebus velut cumulus, accedat, Thomam saepissime replicare, Deum rem quamlibet movere, secundum ejus naturam, seu conditionem. Etenim secundum perpetuam Aquinatis doctrinam, non solum Deus movet ad actum, sed etiam eo modo movet, qui congruit naturae potentiae motae: ita ut si potentia mota necessaria sit, ex necessitate moveatur; si autem libera, moveatur libere. Quod quidem sic divinae motionis proprium Thomas existimat, ut aperte palamque enunciet, majorem contradictionem involvere, voluntatem a Deo moveri ex necessitate, quod ejus naturae repugnat, quam libere moveri, quod convenit ejus naturae: " Dicendum quod voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae (1). „ Ex quo praeclaro testimonio satis leviter intelligi potest, Aquinatis doctrinam esse, non modo Deum voluntatem movere, verum etiam sic eam movere ut libera permaneat. Quod quidem ut clarius percipiatur, illud non praetermittendum, nostrum Doctorem in hoc eodem articulo qui citatur, quaerere: " Utrum voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus; „ atque asserere, rationibusque evincere, eam non moveri ex necessitate: qua ex re nullo negotio intelligitur, Thomam probare,

(1) 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1.

voluntatem a Deo moveri, at non ex necessitate; quapropter articulo finem imponit cum illis verbis, quae sint conclusio hujus generalis disputationis: " Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur. „

103. Sed opponuntur ab adversariis quaedam peculiares difficultates, quae proinde paucis exsolvendae sunt. Imprimis itaque dicunt, a motione divina voluntatem ad unum determinari; qua ex re eam libere non manere, esse cogendum, sequente ratiocinatione statuere adnituntur. Qui ad unum determinatus est, ad eligendum hoc vel illud indifferens esse nequit; determinatum enim et indifferens opponuntur, cum idem sit indifferens quod indeterminatum. Porro autem ad libertatis rationem pertinet, ut voluntas indifferens sit ad hoc vel illud agendum; alioquin enim suorum actuum dominium ea non haberet. Quapropter cum divina motio a voluntate indifferentiam tollat, eam ad unum determinando, perspicuum est ipsam voluntatis ejusdem libertatem radicitus convellere; nam voluntas, ut patet, numquam agit ut indifferens.

Verum ratiocinatio ista aequivocatione laborat; duplex enim genus indifferentiae voluntatis est admittendum; cum quisque facile intelligat, indifferentiam privativam, seu potentialem, ab indifferentia positiva, seu actuali, maxime differre. Itaque indifferentia privativa est actus carentia, seu privatio; quae quidem phisica Dei motione a voluntate tollitur; nam cum motio ista quaedam sit participatio divinae actualitatis, voluntatem perficit, imperfectionem simplicis potentialitatis ab ea tollendo, id est eam ab actu primo ad actum secundum perducendo: quod quidem

libertatem minime labefactare, nemo est qui non videat. Indifferentia autem positiva, seu actualis, non dicit actus carentiam, sed potius ipsum actum eumdem cum potentia ad oppositum; ea enim ita voluntas agit, ut possit oppositum. Porro autem indifferentia ista à Dei motione non evertitur; voluntas enim, ea motione posita, sic eligit, ut possit non eligere. Itaque quamquam voluntas, stante phisica Dei motione, non habet in actum suum dominium potentiale, quod a prima illa indifferentia tribuitur; habet tamen dominium actuale, quod quidem cum perfectius sit, eam perfectiori modo liberam facit.

104. Sed instant adversarii: Motio Dei est summe efficax, et infallibilis; ergo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod Dei motione determinatur.

Difficultati isti primum cum Aquinate responderi potest, divinam voluntatem non modo se extendere ut aliquid fiat per rem quam movet, verum etiam ut eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius, ut in principio hujus capitis dictum est. Deinde potest responderi, ut etiam ibidem dictum fuit, quaecumque Dei motio ponatur, impossibile omnino esse, voluntatem ex necessitate moveri, judicii indifferentia permanente. At claritatis causa respondetur, distinguendo: Posita Dei motione efficaci et infallibili, voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod eâ determinatur in sensu composito, id est non potest componere actum cum non actu, conceditur; non potest in sensu diviso, id est Dei quoque motione posita, non retinet potentiam non agendi, negatur. Distinctionis autem ratio est, quod quia operatio Dei voluntatem moventis, non praecedit nisi natura et causalitate voluntatis ejusdem

operationem; ideo si divina motione posita, in sensu composito voluntas posset non agere, posset agere et non agere eodem tempore, seu simul actum emittere et non emitere, quod apertam contradictionem involvit. At vero si dicatur voluntas, Dei quoque motione posita, posse non agere in sensu diviso, nullum ea ex re sequi incommodum, est perspicuum; voluntatis enim actus, ejusque potentia ad oppositum simul esse possunt, ut patet. Ea de re est illud praeclarum nostri Doctoris: “ Dicendum quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur (1) „. Et alibi aperte ait: Quamvis non esse effectum divinae voluntatis, non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum divinae voluntatis, simul stat cum divina voluntate.

105. At urgent: Distinctio sensus divisi et compositi plane ridicula videtur; Dei enim motionem ita semper et infallibiliter consequitur voluntatis operatio, ut haec isti numquam resistat: ergo quid sibi volunt illa verba, in sensu diviso voluntas potest non agere? qua ratione ab actu emittendo ea libera dici potest? Itaque ut libertas ab exitio vindicetur, vel dicendum est, voluntatem posse Dei impulsioni resistere, aut ipsa motio eadem est rejicienda.

Respondeo, hominis voluntatem, divina quoque motione posita, liberam esse, et permanere, ob rationes in hoc eodem capite propositas; et praecipue

(1) Loc. sup. citat. ad 3.

ideo quia, ut in numero praecedente dictum est, etiam sub Dei motione ea retinet potentiam ad oppositum: quod quidem sibi volunt illa verba eam posse non agere in sensu diviso. Neque enim ut voluntas libera dici queat, eam posse eodem tempore agere et non agere, est necesse; sed satis superque est, ut cum agit, potentiam non agendi retineat; quae quidem potentia, ut supra dictum est, a Dei motione non tollitur. Itaque distinctio sensus compositi et sensus divisi non modo non est rejicienda, verum etiam probanda ut verissima, nisi huic quaestioni, caeteroquin subtilissimae, tenebras offundere placeat. His de rebus atque rationibus merito atque jure optimo acutissimus Gonetus ait: " Ut perbelle ait Silvius in opusculo de primo motore, qui hanc distinctionem derident, deberent potius ignorantiam suam deflere: nam, ut testatur D. Thomas qu. 6. de verit. art. 4. ad 8, haec distinctio ita celebris est et antiqua, ut ea utantur omnes antiqui theologi ad conciliandam libertatem cum divina providentia, et praedestinatione: *Dicitur communiter*, inquit, *quod haec: Deus potest non praedestinatum praedestinare; in sensu composito est falsa, in diverso vera; et ideo omnes locutiones illae, quae sensum compositum implicant, sunt falsae simpliciter.* Item Venerabilis Beda in axiomatibus philosophicis ex Aristotele collectis, littera O, sic habet: *Omnia futura de necessitate evenient 1. Periherm. Verum est in sensu composito, non autem in sensu diviso: vel verum est ex hypotesi, non autem simpliciter* (1) „. Post praeclara ista verba, quae certe demonstrant, distinctionem sensus

(1) Disput. 6. saepe cit. a. 2. §. 15.

divisi et compositi neque Thomae neque antiquis theologis visam fuisse ridiculam, clarissimus auctor subdit, ad libertatis rationem non pertinere, quod voluntas possit componere non actum cum praerequisitis natura ad operationem, cum id sit actum cum ejus carentia componere; sed ei satis esse, quod cum praerequisitis iisdem potentiam ad oppositum voluntas retineat: quod quidem nostram doctrinam egregie confirmat. At de difficultatibus quae ex libertatis laesione derivantur, satis dictum est.

106. Deinde proponatur alia difficultas ex eo ducta, quod ad peccati actum praemovere Deus nequeat; etenim illud adversarii saepe objiciunt, praemotione statuta, Deum peccati auctorem constitui. Re vera, inquiunt, peccati auctor citra dubium est dicendus, qui ad malam operationem phisice impellit; sed secundum eorum doctrinam, qui praemotionem tuentur, non modo ad bonas, verum etiam ad malas operationes Deus phisice permovet: itaque phisica praemotione posita, Deus peccati auctor constituitur.

Verum difficultas ista nullo negotio dissolvitur; mala enim operatio dupliciter considerari potest, quatenus actio est, et quatenus est mala. Primo modo considerata certe a Deo est; propterea quod, ut Thomas ait: " Omnis actio causatur ab aliquo existente in actu, quia nihil agit nisi secundum quod est actu. Omne autem ens reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquitur quod Deus sit causa actionis, in quantum est actio (1) „. Considerata autem

(1) 1. 2. q. 79. a. 2.

secundo modo, seu quatenus est mala, a Deo citra dubium non est, sed a libero arbitrio, in quantum deficit (ut Thomas inquit) ab ordine primi agentis: " Defectus ille (subdit ibidem s. Doctor) est a causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde defectus ille non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium; sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundum hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa hujus quod actus sit cum defectu ". Ex quibus verbis omnibus in promptu est, secundum Thomae doctrinam, quamquam Deus ad malam operationem phisice permovet, peccati tamen causam non esse dicendum, propterea quod ad eam impellit quatenus actio est, non autem quatenus est mala. Quod ut clarius percipiatur, simulque phisicae praemotionis doctrina magis firmetur, illud insigne nostri Doctoris, quod diversum modum explanat, quo divina motio in causis secundis recipitur, producere lubet: " Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum.... Cum itaque aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi moventis. Sed si non sit in debita dispositione et aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta... Sic ergo dicendum, quod cum Deus sit primum principium motionis omnium, quaedam sic moventur ab ipso, quod

etiam ipsa seipsa moveant, sicut quae habent liberum arbitrium; quae si fuerint in debita dispositione et ordine debito ad recipiendum motionem, qua moventur a Deo, sequentur bonae actiones, quae totaliter reducantur in Deum, sicut in causam. Si autem deficiant a debito ordine, sequetur actio inordinata, quae, est actio peccati. Et sic id quod est ibi de actione, reducetur in Deum, sicut in causam; quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum causam sed liberum arbitrium (1) „. Ex quo praeclaro Thomae testimonio satis leviter intelligi potest, quo modo phisica Dei motio ad omnes actus, malorum actuum deformitatem non efficiat, quamquam eorumdem vere sit causa. Ex eodem quoque nullo negotio intelligitur, cur unus potiusquam alius ad actionem malitiae conjunctam a Deo moveatur; id namque non ex divina motione, sed ex indebita voluntatis dispositione defluere, Thomas enunciat: “ Cum Deus sit principium motionis omnium, quaedam sic moventur ab ipso, quod etiam seipsa moveant.... quae si fuerint in debita dispositione.... sequentur bonae actiones. Si autem deficiant a debito ordine, sequetur actio inordinata, quae est actio peccati „. Quod si tandem quaeratur, cur Deus, summe bonus sciens malam voluntatis dispositionem, ad actionem praemoveat, quam futuram malam agnoscit? Respondet Aquinas: „ Dicendum quod aliter de eo est qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo quod ejus curae subditur, quantum

(1) Q. 3. de mal. a. 2.

potest, sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturae universalis, inquantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi; nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo; non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit Augustinus: *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo* (1) „.

(1) 1. p. q. 22. a. 2. ad 2.

CAPUT XVIII.

De praemotione quantum ad exercitium et quantum ad specificationem.

107. Quaestionis status exponitur, ostenditurque generatim, tum quantum ad exercitium tum qnantum ad specificationem, praemotionem phisicam esse admittendam. — 108. Prima difficultas exsolvitur. — 109. Fit satis difficultati alteri. — 110. Secundo eadem veritas comprobatur ratione ex statu potentiae voluntatis creatae deducta. — 111. Evincitur tertio eadem veritas voluntatis indifferentia, seu indeterminatione. — 112. Proponitur, solviturque prima difficultas. — 113. Difficultas altera profligatur. — 114. Respondetur instantiae. — 115. Quarto eo veritas eadem stabilitur, quod totius entis Deus est causa. — 116. Postrema ratio proponitur, ex eo derivata, quod Deus est supremus omnium rerum Dominus, et universalis provisor.

107. Quae hactenus de phisica motione sunt generatim disputata, eamdem pariter quantum ad actus exercitium et quantum ad ejusdem specificationem evincunt; Dei enim impulsione ad utrumque voluntatem egere, rationes quae propositae sunt, clare demonstrant. Attamen nonnulli philosophi motionem ad specificationem inter et motionem ad exercitium quoddam esse discrimen opinati sunt; atque istam ab Aquinate rejici, hanc vero probari, compluribus rationibus statuere sunt conati. Verum eos in maximo errore versari, ejusdem Aquinatis testimoniis, quae supra jam

producta sunt, intelligere quisque potest; nullibi enim Thomas legitur eam distinctionem enunciasse; eamdemque rationes ab eo propositae, quae quidem phisicam praemotionem statuunt egregie, omnino convellunt: quod quidem tum ex dicendis in praesente capite, tum ex iis quae disputabuntur in capite sequente, planum erit. Interim capitis hujus initium ex generali ratione petatur, quae alias peculiares complectens, utramque praemotionem firmius statuat. Cum itaque quis animo contemplatur, facile profecto reperit, in qualibet volitione duo posse considerari, actus exercitium, seu ejus rationem individuam, et ejusdem specificationem, seu rationem ejus specificam; ac utrumque a voluntate proficisci, tamquam a causa efficiente. Re vera de prima ratione nullum dubium esse potest; alia enim causa efficiens ei assignari nequit, nisi voluntas: quod autem ad secundam attinet, idem esse dicendum, eo facile evincitur, quod cum aliqua causa efficiens ei tribuenda sit, alioquin aliquid creatum absque causa efficiente creata poneretur, nihil nisi voluntas eo munure fungi potest. Et certe intellectus, seu objectum eo apprehensum, de quo quidem, quod voluntatis actum specificare dicitur, posset dubitari, rationem causae efficientis habere nequit, sed solummodo finalis et formalis extrinsecae, quemadmodum alibi explanatum est (1). Itaque voluntas efficiens causa est dicenda tum actus, tum ejusdem specificationis: ex quo fit, eam utrumque edere, cum volitionis

(1) Cf. caput quartum, in quo explosa est sententia Cajetani, aliorumque, asserentium, voluntatem ab intellectu moveri in genere causae efficientis.

actum emittit. Jam vero ad volitionis actum emittendum, voluntatem a Deo phisice praemoveri, tum ex rationibus in praecedentibus capitibus propositis, tum ex apertissimis Aquinatis testimoniis, est perspicuum. Quapropter tum ad actum tum ad ejus speciem, id est tum ad exercitium, tum ad specificationem, secundum Thomae doctrinam, Deum phisice voluntatem movere, nemo negare potest (1).

108. Sed dixeris fortasse, facile quidem percipi, in qualibet volitione duo reperiri, actus exercitium et ejus specificationem, difficulter tamen, voluntatem esse efficientem utriusque causam. Revera ea ex re

(1) Cf. Suarezium Disput. Metaph. 5. sect. 9. Ubi eximius Doctor quaerit: "An repugnet individuationi accidentium, ut plura solo nu„mero differentia successive sint in eodem subjecto.„ In ea quaestione ipse ait: "Dicunt ergo alii hujus rei causam et rationem pendere „ex alia quaestione, scilicet unde causa secunda determinetur ad hunc „numero effectum hic et nunc efficiendum potiusquam ad alium....... „Dicunt ergo aliqui in praedicta quaestione, totam hujus determina„tionis causam et radicem reducendam esse in divinam voluntatem „et praedefinitionem. Videns enim Deus *hoc agens hic et nunc esse „dispositum ad immutandum omnino subjectum ad talem formam in „specie*, et *de se esse indifferens ad talem formam in individuo*, et „ex se non posse elegere, seu determinare actionem suam ad hoc po„tiusquam ad illud, *ipse sua voluntate decrevit dare concursum ad „producendum tale individuum in particulari* in hoc instante et in „hoc subjecto, et quia causa secunda non potest agere sine concursu „Dei, consequenter illa determinatur ad agendum hic et nunc *tale „individuum* et non aliud„. Quam sententiam ipse valde probabilem censet, citatque Toletum 8. Phisic. quaest. 3, Fonseca 1. Metaph. c. 2, quaest. 3, Copulata Conimbricensia lib. 2. Phisic. c. 7. quaest. 15, a. 1. Itaque discrimen istud inter concursum Dei *ad talem formam in individuo*, et eumdem concursum *ad talem formam in specie* iis ex rebus quae in hoc et sequenti capite disputantur, satis superque refutatum manet. Confer, si lubet, Gonetum in quaestione ad quam hac in re saepe revoco.

sequi videtur, omnes voluntatis actus ejusdem speciei esse; propterea quod ea doctrina posita, omnes actus quantum ad rationem specificam, ab eadem causa efficiente procederent. Verum difficultas ista nullius momenti est, et jam a doctissimo Billuart profligata: " Nec inde sequitur (inquit) omnes actus voluntatis esse ejusdem speciei; ad id enim non sufficit quod ab eadem causa efficiente producantur, sed etiam requiritur quod sit eadem forma specificans: sic motus sursum et deorsum ab eodem motore possunt produci, et tamen sunt diversae speciei, quia tendunt in diversos terminos, a quibus specificantur. Dicitur autem voluntas efficienter specificare suos actus, quia eos formis suis, id est appetibilibus diversis, aptat et commensurat „ (1). Quibus verbis adversariorum difficultas exsoluta est.

109. Sed insuper ab iisdem opponitur: Actus exercitium et ejus specificationem inter se revera differre non negatur; ex quo profecto fit, Deum ad unam rem posse voluntatem movere, quin moveat ad alteram. Ergo nullum saltem ex eo sequitur incommodum, quod quis asserat, Deum phisice praemovere ad exercitium, et non ad specificationem.

Respondeo: Multa ea ex re sequerentur incommoda, quae quidem in capite sequente recensentur; et maxime secundum adversariorum principia, qui ideo praemotionem quantum ad specificationem rejiciunt, quod ea libertatem convelli arbitrantur. Etenim libertas duplex est exercitii et specificationis (2); itaque si prae-

(1) Summ. Theolog. juxta mentem s. Thomae, Diss. 3. a. 2. De motiv. volunt. quoad specific. — (2) Cf. si lubet, caput primum hujus opusculi.

motio ad hanc libertatem convellit, quoniam ad istud adversarii praemotionem admittunt, exercitii libertatem profecto labefactant, ut latius infra dicetur. Praeterea si voluntas efficiens causa est specificationis actus, ut in probatione praecedente dictum est, contingens ea est, ac in potentia, ad eum effectum edendum; ex quo profecto fit, eam ut ipsum emittat, phisica Dei impulsione, atque determinatione egere, quemadmodum indiget ad exercitium. Qua ex re satis leviter intelligi potest, omnes rationes (ut jam monui) omniaque Thomae testimonia, quae Deum potentias activas earum actibus jungere statuunt, eum ad speciem quoque actuum eorumdem ipsas impellere, simul evincere: quapropter perperam illud ab adversariis asseritur, Deum ad unam rem movere posse, quin moveat ad alteram. Sed de iis quae ad generalem probationem spectant, satis dictum est.

110. Itaque peculiares rationes in medium proferantur, atque imprimis ea, quae ex statu potentiae voluntatis creatae deducitur; quae quidem ratiocinatione sequente potest proponi. Quod est intrinsecus impotens ad actum determinatum emittendum, omnino est necesse, aliqua re intrinsecus recepta perfici, ut illum edere queat; quod enim ex se impotens est, fieri nequit potens, nisi intrinsecus immutetur; quippe quia denominatio potentis (ut ajunt) intrinseca est. Porro autem voluntas intrinsecus impotens est ad actum determinatum, id est hujus vel alterius speciei, emittendum; nam, quemadmodum de phisica motione generatim dictum est, virtus causarum secundarum solummodo activa est in actu primo, id est primus est actus in potentia ad secundum, seu ad ultimam actua-

litatem, non tamen eadem ipsa ultima actualitas. Ea de re est illud Thomae praeclarum: “ Impossibile est quod aliquid, quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua ultima actualitas„. Quibus ex rebus profecto fit, voluntatem aliqua re intrinsecus recepta perficiendam esse, ut actum determinatum, ut puta amoris vel odii, emittere queat. At vero ea res nequit esse influxus simultaneus, qui certe voluntatem non tangit, ut dictum est; neque objectum animo apprehensum, quod quidem in mente, non tamen in voluntate recipitur: itaque nihil aliud esse potest, nisi phisica Dei motio, quae contactu virtuali voluntatem tangens, eamdem ad actum determinatum, id est tum ad individuam, tum ad specificam ejus rationem, impellat. Igitur ex natura ipsa voluntatis est perspicuum, tum ad actus exercitium tum ad ejus specificationem, phisicam praemotionem esse admittendam.

111. Sed ex ipsa eadem voluntatis natura alia et maxime urgens ratio potest duci. Etenim voluntas indifferens est, non modo quod ad exercitium attinet, verum etiam quod ad specificationem spectat; ea enim libera est quantum ad utrumque; ex quo profecto fit, neque ad actum, neque ad ejus speciem, eam esse a natura derminatam. Jam vero a causa indifferente ac indeterminata nullus consequi potest effectus, nisi ab aliquo qui sit in actu, ea determinetur, ut supra ex Thoma dictum est; qua de re est illud ejusdem, alibi productum: “ Dicendum quod causa quae est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas divina quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad

quod habet habitudinem non necessariam „. Itaque planum est, voluntatem, quod indifferens atque indeterminata ea est tum quantum ad exercitium tum quantum ad specificationem, phisica Dei impulsione, seu determinatione, quantum ad utrumque indigere.

112. Sed opponunt adversarii, voluntatem ab objectis quantum ad specificationem determinari; quapropter etiam illo Thomae ut vero posito: “ quod causa quae est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum „; necesse non esse, praemotionem quantum ad actus specificationem admittere; illud namque exterius posse esse objectum, mente apprehensum.

Respondeo, objectum (ut saepe dictum est) voluntatem solummodo, ut causam finalem et formalem extrinsecam movere, seu determinare; non tamen eam intrinsecus immutare. At vero voluntas intrinsecus indeterminata est; quapropter ut actum determinatum edat, aliqua re intrinsecus recepta determinari debet, quemadmodum dictum est in praecedente probatione. Ea de re est illud praeclarum doctissimi Goneti: “ Licet intellectus, mediante objecto proposito, extrinsece et objective possit determinare voluntatem ad speciem actus, haec tamen determinatio non sufficit, ut possit in actum determinatum exire.... Quia cum voluntas sit intrinsece indeterminata et in potentia, ut talis indeterminatio et potentialitas tollatur, debet active determinari, actuari per aliquid intrinsecum, scilicet per divinam motionem in ea receptam, prius saltem natura quam operetur (1) „.

(1) Disp. 6. De modo quo volunt. movet. a. 2. §. 8.

113. At urgebunt: Objecto voluntati demonstrato, ita haec isti adhaeret, ut ei immobiliter sit devincta: quam ob causam Dei motio, saltem quantum ad speciem, est superflua.

Respondetur absonum esse adversariorum commentum, objecto demonstrato ita voluntatem adhaerere, ut ei necessitate quadam vinciatur; nam objecto quoque proposito indifferens ea permanet, tum quantum ad exercitium, tum quantum ad specificationem; si enim esset ad alterutrum immobiliter determinata, ut effutiunt adversarii, aut actum omittere, aut actum alterius speciei edere non posset: quocirca vel quantum ad exercitium vel quantum ad specificationem, libera non esset. Sed praeterea ista quoque determinatione posita, nullo modo consequitur Dei motionem esse superfluam; nam, quemadmodum supra dictum est, determinatio intellectus objectum proponentis externa est; voluntas autem est intrinsecus indeterminata; quapropter ut determinatam operationem edat, perficienda est, seu determinanda, aliqua re intrinsecus recepta: quae certe nihil aliud esse potest, nisi phisica Dei motio, ut jam dictum est.

114. Instabunt fortasse, voluntatem ex necessitate ultimum rationis judicium sequi; eaque de re antequam electionis actum ea emittat, ita ad speciem esse determinatam, ut ipsam nequeat immutare. Verum etiam ea re statuta nullo modo consequitur, divinam motionem esse superfluam; semper enim illud omnino certum, determinationem ex parte intellectus solummodo objectivam esse atque externam; voluntatem vero intrinsecus indeterminatam esse; atque proinde intrinsecus esse perficiendam, ut actum determinatum

edere queat. At nullo modo probandum est, immo omnino rejiciendum, ita voluntatem ultimum rationis judicium sequi, ut ipsum nequeat immutare; id enim esse contra Thomae doctrinam, atque electionis libertatem omnino convellere, alibi invincibiliter est statutum (1). Itaque necessitas quae in voluntate est, ultimum rationis judicium sequendi, non est absoluta, sed hypothetica; id est posito quod judicium nolit immutare, ea quae quidem appetitus est rationalis, ipsum sequi debet: ex quo fit (ut alibi dictum est) judicium apte ultimum non dici, nisi post electionem. Quibus quidem ex rebus facile potest ab adversariis intelligi, voluntatem ante electionis actum semper liberam manere, tum quod ad exercitium spectat, tum quod attinet ad specificationem; atque proinde perperam eos asserere, practico judicio posito ita eam esse ad actus speciem determinatam, ut ipsam nequeat immutare. Ea de re est illud Thomae, qui de voluntate loquens, ait: " Quae nata est *moveri libere ex seipsa*, secundum judicium rationis (1) „: quae verba profecto demonstrant, rationis judicium nullam voluntati necessitatem inferre. Sed satis nunc dictum est de adversariorum difficultatibus; aliae enim quae ab iis proponuntur, infra sunt exsolvendae.

115. Deinde quarta ratio, quae peculiarium tertia est, proponatur, ex eo ducta, quod Deus omnium entium est causa. Deus enim quod causa est summe efficax (ut de praemotione generatim dictum est) gignit

(1) Cf. Caput sextum et septimum hujus opusculi, in quibus ea de re Thomae doctrina proponitur, et adversariorum objecta diluuntur. — (2) 1. 2. q. 73. a. 6.

totum ens, id est omne ens omnesque ejus differentias attingit; idque adeo certum est (inquit Goudin) ut D. Thomas oppositum haereticum censuerit. Qua ex re profecto consequitur, Deum voluntatis operationem efficere, non modo quantum ad rationem individuam, sed etiam, et maxime, quantum ad specificam rationem; haec enim aliquid ista nobilius et perfectius est, cum id sit, quod actui dat speciem, ut in capite sequente dicetur. Jam vero voluntatis actum efficere, idem esse ac eam praemovere est perspicuum; quod enim causa prior est effectu, idcirco influxus actum aliquem efficiens, eo prior esse debet. Itaque quoniam Deus causa est, et efficacissima operationis voluntatis, non modo quantum ad individuam, verum etiam quantum ad specificam actus rationem, id est non solum quod ad exercitium spectat, sed etiam quod attinet ad specificationem, voluntatem eamdem phisice eum praemovere dicendum est.

116. Tandem eadem veritas ipsa ratione evincatur, ex eo derivata, quod Deus supremus est omnium rerum Dominus atque universalis provisor. Et primum quidem ratione perfecti dominii, *Deus* (inquit Augustinus) *magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas* (1): ex quo quidem sequens argumentum duci potest. Voluntas creata ob dominium quod habet in suos actus, quantum ad exercitium et quantum ad specificationem se libere determinat; at vero Deus majus habet dominium in eosdem actus quam ipsa voluntas; ergo eam libere quantum ad utrumque determinare potest. Re vera si homo libere se determinare posset,

(1) De corrept. et grat. c. 14.

Deus aut non posset eum determinare, quin ejus libertatem convelleret, ut ab adversariis asseritur, potius contra Augustinum dicendum esset, homines in eorum potestate magis habere quam Deus, voluntates suas. Sed aliud argumentum ex eodem ipso supremo Dei dominio potest derivari: Deus enim ob dominium istud in quamlibet rem creatam summum habet jus, ita ut quidquid sibi libuerit, in ea agere queat; porro autem liberi voluntatis actus non solum quantum ad exercitium, sed quantum ad specificationem aliquid creatum sunt; nam specifica ratio aliquid est re vera existens, ut supra dictum est: itaque omnino est absurdum, minus jus ponere in Deo quam in voluntate creata quantum ad actus liberos. Igitur quemadmodum voluntas, ut jam dictum est ob potestatem quae penes eam est, actuum suorum, quantum ad exercitium et quantum ad specificationem, se libere movet, seu determinat; ita profecto Deus, penes quem major est actuum eorumdem potestas atque dominatus, eam ad utrumque, quin ejus labefactet libertatem, phisice permovet. Sed videamus quo modo veritas eadem eo firmetur, quod Deus est universalis provisor. Itaque Deus, ut supremus gubernator et rector, cujus providentia omnia reguntur atque temperantur, ultimum universi finem cum respiciat, ad eumdem omnia debet infallibiliter dirigere. At vero ad exercitium solummodo voluntatem si ipse permoveat, quod autem ad specificationem attinet, ab eadem determinationem expectet, a causa secunda eum dirigi, potiusquam omnia eum dirigere, est dicendum. Quod quidem exemplo ducis exercitus potest explanari; qui victoriam ut finem respiciens, si ad agendum milites posset quidem

determinare, non tamen ad hanc vel illam operationem, nisi postquam ad eam iidem se determinassent, ab iisdem dirigi potiusquam eos dirigere, diceretur. Itaque planum est, rationem universalis provisoris in Deo omnino postulare, ut tum ad actum tum ad ejus speciem, hominis voluntatem ipse determinare, seu impellere, queat. Quibus quidem ex rebus atque ratiocinationibus id tandem ut certissimum licet inferre, quod in principio hujus capitis dictum est, rationes omnes, quae Deum hominis voluntatem quantum ad actus exercitium, phisice praemovere statuunt; easdem etiam evincere ipsum eam praemovere, quod attinet ad specificationem; quod quidem iis ex rebus quae in capite sequente dicentur, magis patebit.

CAPUT XIX.

Praemotio quantum ad exercitium et quantum ad specificationem evincitur incommodis adversae sententiae.

117. Ex adversariorum doctrina, quae praemotionem solummodo quantum ad exercitium statuit, sequitur, voluntatem creatam primum esse eligens, atque proinde primum liberum. — 118. Sequitur praeterea, id voluntati creatae tribui, quod perfectius est, Deo vero quod est minus perfectum. — 119. Tertium incommodum est, eorumdem principia arbitrii libertatem convellere. — 120. Quartum incommodum, Deum dici posse peccati auctorem. — 121. Capitis conclusio, qua praemotio quantum ad specificationem magis suadetur.

117. Rationibus in capite praecedente propositis, phisica praemotio non modo quantum ad exercitium, verum etiam quantum ad specificationem, invincibiliter est statuta; quamobrem eadem de re alia disputare, vix aliquid in lectorum utilitatem conferre posse videtur. Attamen ut omnibus in promptu sit, adversarios hac de re maximo errore duci, incommoda quae ex eorumdem sententia consequuntur, in peculiari capite, duxi esse exponenda. Qua quidem ex re facili negotio intelligere quisque poterit, eos plane libertatem convellere, cum eidem consulere arbitrantur; et maxima incommoda eos haud vitare, quae ex eorum sententia qui praemotionem etiam quantum ad exercitium rejiciunt, consequuntur. Itaque

imprimis qui solummodo quod ad exercitium attinet, phisicam Dei motionem tuentur, illud profecto asserunt, voluntatem creatam primum esse eligens, atque proinde primum liberum: quod quidem maximum est incommodum. Re vera " Deus (inquit Billuart) dicitur non solum primum ens, sed prima causa, primum principium, primum movens, primum determinans, primum liberum: quia sicut nullum est ens nisi ab eo participatum, ita nulla causa, nullum movens, nullum determinans, nisi ab eo moveatur et determinetur, nullum liberum, nisi ipsi subordinatum. Et sicut si esset aliquod ens ab ipso non participatum, desineret esse primum ens; sic si voluntas esset primum sui movens et determinans, desineret esse prima causa, primum principium, primum movens, primum liberum, et creatura his praerogativis decoraretur, fieretque quasi alter Deus; primum enim dicitur quod alterum prius non supponit (1) „. Jam vero si voluntas solummodo quantum ad exercitium a Deo moveatur ad agendum, quod autem pertinet ad specificationem, se absque Dei operatione permoveat atque determinet, perspicuum est, eamdem absque Dei influxu rationem specificam efficere, seu ejusdem esse causam, ad eam se movere, et determinare: ex quo profecto fit, eam quod ad rationem istam attinet, primum esse eligens, primum movens, primum determinans, atque proinde primum liberum. Praeterea specifica ratio in voluntatis actibus est prior et perfectior individua ratione; quippe quia ista eorum essentiam contituit, ad quam certe haec non pertinet.

(1) Tract. De act. hum. diss. 2. a. 1. §. 5.

At vero ea causa prius eligere dicenda est, quae per se primo attingit in actu rationem priorem illa quae ab altera attingitur: itaque si ad specificam rationem suorum actuum voluntas se determinet, a Deo autem ad individuam rationem solummodo determinetur, ea erit primum eligens, atque proinde primum liberum. Ea de re est illud praeclarum doctissimi Goneti, qui rationem eamdem evolvens ait: " Illa causa prius eligit et prius determinat, quae per se primo attingit in actu, vel in effectu, aliquam rationem priorem illa, quae ab altera attingitur; sed ratio specifica in actibus voluntatis creatae, est prior individuali, eaque nobilior et perfectior, cum illa eorum essentiam et quidditatem constituat ista vero sit extra eorum essentiam et quidditatem: Ergo si voluntas creata in suis actibus liberis rationem specificam per se primo attingat, et concursum Dei ad illam determinet, ab eoque solum determinetur ad rationem individualem et numericam suae operationis, voluntas creata erit primum liberum primumque determinans, divina vero, solum secundum liberum et secundum determinans. Imo (subdit) voluntas divina erit posterior voluntate humana, ejusque veluti ancilla et pedissequa; ejus enim determinationem expectare debebit, ut determinate in actus nostros liberos influat: sicut si ancilla ut operetur, expectat nutum, vel imperium dominae suae; vel sicut habitus, ut in actum secundum exeant, voluntatis determinationem et flexum expectant (1) „. De primo incommodo satis dictum est.

(1) Disp. 5. De effic. volunt. Dei a. 3. §. 3.

118. Deinceps secundum proponatur, quod quidem ex rebus jam disputatis potest intelligi; atque in eo situs dicitur, quod ab adversariis id Deo tribuitur, quod in voluntatis actibus minus perfectum est, voluntati autem creatae, quod melius est atque perfectius. Re vera jam dictum est, specificam rationem nobiliorem perfectioremque esse individua ratione, ideo quia ista essentiam constituit, haec vero ad eamdem non spectat: qua ex re pronum est colligere, efficientiam specificae rationis, seu determinationem ad eamdem, nobiliorem esse atque perfectiorem efficientia rationis individuae, seu determinatione ad ipsam. Porro autem adversarii specificae rationis efficientiam, seu determinationem ad eam, voluntati creatae tribuunt, atque Deo solummodo efficientiam rationis individuae, seu determinationem ad eamdem: itaque quod in voluntatis actibus minus perfectum est tribuunt Deo, quod autem est melius et perfectius voluntati creatae. Qua de re est illud insigne Goneti jam citati: " Cum ratio specifica, utpote constituens essentiam et quidditatem rei, sit nobilior individuali, quae est extra essentiam et quidditatem illius, determinatio ad speciem actus est perfectior determinatione ad individuum. Ergo si ad voluntatem humanam per se primo referatur determinatio ad speciem actus, et divinae attribuatur solum determinatio ad individuum, manifestum est, id quod est melius et perfectius attribui voluntati creatae, divinae vero id quod est minus bonum et minus perfectum (1) ". Quod quidem incommodum, ut idem clarissimus auctor

(1) Loc. cit.

notat, saepissime in Pelagianis reprehendit, detestaturque Augustinus.

119. Sed proponatur tertium incommodum, ex quo planum fiet, non solum adversarios libertati non consulere, sed eam penitus convellere. Re vera ut quisque maxime perspicit, duplicis generis est libertas, exercitii et specificationis: ista respicit actum et non actum, haec vero actum hujus alteriusve speciei. Qua ex re satis leviter intelligi potest, voluntatem indifferentem esse, cum ad actum emittendum et non emittendum, tum ad edendum actum hujus alteriusque speciei. Porro autem secundum adversariorum principia idcirco praemotio quantum ad specificationem est rejicienda, quod libertas divinaque motio nequeunt componi, seu conciliari; ex quo quidem sequens argumentum contra eosdem potest duci: Phisica Dei motio, seu determinatio, libertatem convellit, sed adversarii phisicam Dei motionem ad exercitium admittunt, ergo exercitii libertas ab iisdem convellitur. Itaque aut dicendum est, phisicam praemotionem libertatem non labefactare, aut tum quod ad exercitium spectat, tum quod attinet ad specificationem, ea est rejicienda. Quam ob causam idem Gonetus ait: " Sicut adversarii contendunt, quod si Deus determinaret voluntatem creatam ad speciem actus, ab ea tolleret libertatem specificationis, quia (inquiunt) ita de ratione causae liberae est seipsam determinare, ut repugnet eam a Deo determinari; ita etiam propter eamdem rationem, si voluntas creata non se determinet ad actum in individuo, sed a Deo determinetur, sequitur per talem determinationem ab ea tolli libertatem exercitii, quae non respicit solum actum in specie, sicut libertas specificationis; sed etiam

in singulari et in individuo, et prout hic et nunc exercetur. Vel si per istam determinationem non tollatur libertas exercitii, per alteram non tolletur libertas specificationis; et sic praecipua adversariorum argumenta, quibus probare contendunt, ex positione decreti efficacis et praedeterminantis, sequi destructionem, aut laesionem, libertatis creatae, penitus infringuntur et enervantur (1) „.

120. At de quarto et maximo incommodo loquamur, scilicet Deum secundum adversariorum doctrinam, peccati esse auctorem. Et certe secundum adversarios ideo Deus auctor peccati non est, quia voluntatem quod ad actus specificationem attinet, non determinat; sed ea ex se absque ejusdem impulsione determinatur. At vero voluntatis actibus inest interdum peculiaris quaedam malitia, quae certe eis secundum specificam rationem non convenit, sed secundum individuam: cujus quidem rei exemplum in circumstantiis aggravantibus in eadem specie, ac in majore intensitatis gradu actus mali perspicitur. Itaque si voluntas, quae secundum adversarios ad specificam rationem se determinat, a Deo quantum ad individuam rationem determinetur, ad eam peculiarem malitiam, quae actui secundum specificam rationem non convenit, sed secundum individuam, et ad quam ea indeterminata erat, ab eodem impelletur, seu determinabitur: ex quo profecto fit, istius malitiae, seu peccati, causam, auctoremque Deum esse. Quod quidem incommodum, quoniam maximum est, angustas incisasque argumen-

(1) Ibid.

tationes, quibus a doctissimo Goneto, praescripta arguendi formula disputante, comprobatur, lubet producere: "Deus erit (inquit) causa peccati, si determinet voluntatem hominis ad aliquam specialem malitiam, ad quam non est ex sua malitia aut defectibilitate determinata: atqui si illam determinet ad eliciendum hunc actum in individuo potiusquam alium, illam determinabit ad aliquam specialem malitiam, ad quam non est ex sua malitia aut defectibilitate determinata: ergo erit causa peccati. Major constat, minor probatur. In hoc actu singulari reperitur aliqua deformitas et malitia specialis, quae non convenit illi secundum suam rationem specificam; malitia enim quae sumitur ex circumstantiis aggravantibus intra eamdem speciem, non pertinet ad rationem specificam actus, sed ad individualem: alioquin illae circumstantiae mutarent speciem moralem actuum humanorum, et non intra eamdem speciem aggravarent. Item actus odii Dei, verbi gratia, secundum rationem specificam abstrahit a latitudine graduali, et ab eo quod sit intensus ut quatuor, vel ut sex: species enim, ut docet Aristoteles, se habent sicut numeri, et consistunt in indivisibili. Si vero considerentur in individuo habent gradus determinatos malitiae et deformitatis: Ergo si Deus determinat voluntatem creatam ad eliciendum talem actum odii in individuo, illam determinabit ad aliquem specialem gradum malitiae et deformitatis, qui non includitur in ratione specifica, et ad quem illa non erat ex propria malitia et defectibilitate determinata (1) „. Quibus ex rebus omnibus in promptu est,

(1) Vide loc. cit.

aut ab adversariis non modo quantum ad specificationem, verum etiam quantum ad exercitium, divinam praedeterminationem esse rejiciendam, aut quantum ad utrumque probandam et defendendam.

121. Itaque ex rebus hactenus disputatis est perspicuum, maxima defluere incommoda ex adversariorum doctrina; atque proinde eos philosophos summopere falli, qui eam ad Dei motionem cum hominis libertatem conciliandam, tueri posse arbitrantur. Et certe, ut in superiore capite dictum est, rationes omnes, quae phisicam Dei motionem quantum ad exercitium statuunt, eamdem etiam quantum ad specificationem evincunt; voluntas enim efficiens causa est specificationis, sicut exercitii; quapropter, quemadmodum praemotione indiget ad exercitium, ita profecto ea indiget ad specificationem. Qua ex re quisque facili negotio intelligere potest, omnia Aquinatis testimonia, quae Deum voluntatem, aut causas secundas, movere, determinare, seu praemovere, asserunt, non modo quod ad exercitium spectat, verum etiam quod attinet ad specificationem, phisicam praemotionem stabilire. Adversarii autem in eo praecipue falluntur, quod voluntatem posse ab objectis quantum ad specificationem determinari, arbitrantur; quod quidem absurdum est, atque rationi repugnans. Etenim, ut jam dictum est, objectiva determinatio externa est, at voluntas intrinsecus est impotens, ad specificam rationem attingendam; quapropter intrinsecus perfici, determinarique debet, ut actum determinatum edere queat. Illud quoque attentius adversarii perpendant, rationem causae universalis, atque summum dominium in Deo, secundum eorum doctrinam ab exitio vindicari non posse.

Quomodo in eorum sententia, Deus totius entis causa dici potest, cum ejus efficientiae id subtrahant, quod nobilius et perfectius est in voluntatis actibus, id est rationem specificam? Quomodo dici potest cum Augustino, Deum magis habere in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quum quod ad specificationem attinet, homo se libere determinare possit, Deus autem eum libere determinare nequeat? Quomodo dici potest Deus summum jus atque dominium in quamvis rem creatam habere; cum specifica ratio, quamvis ens creatum et nobilissimum, ejus dominatum penitus effugiat? Super haec Deus ut universalis provisor, ultimum universi finem respiciens, omnia ad eum infallibiliter debet dirigere; at vero si voluntatis determinationem is expectare debet, ut in liberos hominum actus influat, quomodo is dicetur, omnia ad eum finem infallibiliter dirigere? Nonne potius dicendum erit, eum ab hominum voluntate dirigi? motionemque divinam ancillam ac pedissequam esse voluntatis humanae, quemadmodum supra declaratum fuit? Atqui ea omnia absurda esse, rectaeque rationi repugnantia, nemo est qui non videat. Itaque illud magis a culpa vacuum, phisicam praemotionem, et quantum ad specificationem, et quantum ad exercitium, non tamen auctoritate D. Thomae, sed propria auctoritate, rejicere; duo enim postrema incommoda, id est libertatis exitium, atque Deum peccati esse causam, ea ratione vitarentur. Quamquam, ut verum fatear, eorum primum ab adversariis phisicae praemotionis difficulter vitari potest; liberum enim arbitrium, quod primum sit sui determinans, rationem libertatis creatae nequit habere, ut alibi explanatum est. Praemotio igitur et quod

ad exercitium spectat, et quod attinet ad specificationem, ab omnibus probanda, defendendaque est; neque ea ex re metuere quispiam potest, ne libertatis exitium consequatur; quippe quia Deus causa est creatae libertatis. Re vera secundum Aquinatis doctrinam, Deus, ut saepe dictum est, causas secundas eorum actibus adjungens, eas permovet secundum earum conditionem; ita ut ea motione in agentibus liberis libertas, in agentibus autem necessariis inducatur necessitas. Qua quidem de re est illud praeclarum S. Doctoris: " Voluntas, divinam non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non convenit, quam si moveretur libere prout competit suae naturae (1) „. Verum ea de re peculiaris disputatio in postremo opusculi capite instituetur, in quo quidem ratio conciliandi, seu componendi, Dei motionem cum hominis libertate secundum Thomae doctrinam tradetur.

(1) 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1.

CAPUT XX.

Difficultates de praecedenti doctrina solvuntur.

122. Proponitur, exsolviturque prima difficultas, de tertio incommodo in superiore capite proposito, scilicet adversariorum principia arbitrii libertatem labefactare. — 123. Secunda difficultas de eadem re profligatur. — 124. Evolvitur tertia difficultas de eodem incommodo. — 125. In medium adducitur difficultas alia de quarto incommodo, scilicet ex adversariorum sententia sequi, Deum essse peccati auctorem. — 126. Imprimis propositae difficultatis fundamentum evertitur, catholicam doctrinam de libertate tradendo. — 127. Eadem doctrina magis firmatur. — 128. Denique difficultas ipsa profligatur, et caput concluditur.

122. Ex maximis incommodis, quae quidem ex eorum doctrina qui phisicam praemotionem rejiciunt quantum ad actus specificationem, consequuntur, atque ex rationibus jam propositis, haud difficulter intelligere quisque potest, nullum philosophum doctrinam eamdem probare tuerive posse, nisi apertae veritati is velit obsistere. Itaque disceptationem hac de re in longius producere perinutile videtur: quam ob rem aliis probationibus missis, nonnullae proponentur difficultates, quas quidem adversarii magni faciunt, sed tamen eas profligare nullius est laboris. Imprimis igitur contra tertium incommodum in superiore capite propositum, id est adversarariorum sententiam arbitrii libertatem

evertere, illud objicitur: Libertatis exercitium valde differt ab exercitii libertate; est enim exercitium libertatis exercitii, atque exercitium libertatis specificationis; itaque phisica praemotio quantum ad exercitium potest admitti, quin libertas exercitii convellatur.

Verum difficultas ista facile dissolvitur, nam discrimen ab adversariis notatum absonum est commentum. Etenim quid sibi vult, quaeso, distinctio istaec inter exercitium libertatis, et libertatem exercitii? Quid est exercere libertatem, nisi actum liberum edere? Et quid est actualis libertas exercitii, nisi emissio actus cum potentia illum non emittendi? At dicis, est etiam exercitium libertatis specificationis. Maxime; sed quid est exercere libertatem specificationis, nisi edere actum unius speciei cum potentia emittendi actum alterius speciei? Et actualis libertas specificationis in qua alia re ab adversariis constituitur? Itaque quoniam exercitium libertatis exercitii nihil est aliud nisi emissio actus, cum potentia ipsum non emittendi; atque exercitium libertatis specificationis, emissio actus hujus speciei, cum potentia ad actum alterius speciei; perspicuum est, exercitii libertatem everti, si praemotio, quae secundum adversariorum doctrinam, cum libertate componi nequit, quantum ad actus exercitium statuatur; atque libertatem specificationis, si quantum ad actus speciem probetur. Ut autem hac de re omnis aequivocatio tollatur, illud notare placet, cum de libertate quatenus ad Dei actionem ea refertur, sermo instituitur, tria esse consideranda, potentiam activam, quae est liberum arbitrium, actum potentiae, ejusdemque actus specificationem. Porro

autem Dei operatio quatenus ad potentiam refertur, collatio virtutis activae, aut conservatio, a Thomistis nuncupatur; quatenus vero actum, aut ejus specificationem respicit, phisica motio, aut praemotio, appellatur. Quae proinde cum voluntatem ex necessitate determinet, quomodo adversariis placet, exercitii libertatem, si quantum ad actum, et libertatem specificationis, si quantum ad ejus speciem statuatur, plane convellit.

123. At dices: Libertas est ad terminos positivos, non tamen ad terminum positivum et negativum; idest idcirco homo est liber, quod ad volendum hoc vel illud, seu ad actus diversae speciei, se determinat. Itaque etsi ponatur, voluntatem a Deo ad agendum applicari, seu phisice ad exercitium praemoveri, ea tamen libera permanet; propterea quod penes eamdem manet potestas hoc aut illud eligendi, seu diversos actus emittendi.

Respondeo maximo et summe pernicioso errore hac de re adversarios teneri; quemadmodum enim in primo capite hujus opusculi dictum est, duplex est libertas, exercitii et specificationis: ista respicit actum et non actum, id est actum ejusque privationem, aut negationem; haec autem actus positivos diversae speciei. Porro autem prima libertas exercitii nuncupatur ideo, quia actum exercendum aut non exercendum respicit; altera vero ideo libertas contrarietatis, vel disparitatis, appellari consuevit, quia ad positivos actus, contrarios, aut disparatos, dicit facultatem. Itaque difficultas proposita exercitii libertatem convellit, quae quidem ad actus positivos non est, ut ex dictis est perspicuum. Ea de re est

illud praeclarum nostri Doctoris, quod paucis totam libertatis doctrinam apertissime enunciat: “ Cum voluntas dicatur libera, inquantum necessitatem non habet, libertas voluntatis in tribus consideratur; scilicet quantum ad actum, inquantum potest velle et non velle; et quantum ad objectum, inquantum potest velle hoc vel illud, et ejus oppositum; et quantum ad ordinem finis, inquantum potest velle bonum vel malum. Sed quantum ad primum horum, inest libertas voluntati in quolibet statu naturae, respectu cujuslibet objecti. Secundum vero horum est respectu quorumdam objectorum, scilicet respectu eorum quae sunt ad finem, et non ipsius finis, et etiam secundum quemlibet statum naturae. Tertium vero non est respectu omnium objectorum, sed quorumdam, eorum scilicet quae sunt ad finem; nec respectu cujuslibet status naturae, sed illius tantum in quo natura deficere potest (1) „. Quibus ex verbis nullo negotio intelligi potest, praeter libertatem ad terminos positivos, seu ad objecta diversae speciei, libertatem quoque ad terminum positivum et negativum, id est ad actum et non actum, qua voluntas (ut Thomas ait) potest velle et non velle, esse admittendam: quae profecto, ut ex dictis planum est, penitus evertitur, si Dei motio voluntatem ad actum exercendum ex necessitate impellere, dicatur.

124. Sed instabis: Secundum Aquinatis doctrinam animi virtus dupliciter reperitur in potentia ad plura, primum quidem quantum ad agere vel non agere, postea vero quantum ad agere hoc vel illud. Atqui

(1) Q. 22. de verit. a. 6.

horum secundum solummodo in voluntatis potestate a S. Doctore relinquitur: id enim ex illo praeclaro ejusdem testimonio aperte colligitur: " Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle „. Quae quidem verba Dei motionem ad exercitium procul dubio asserunt. Postea autem subdit: " Sed homo per rationem determinat se ad volendum *hoc vel illud*, quod est vere bonum, vel apparens bonum (2) „. Quibus verbis apertissime enunciatur, solummodo determinationem quantum ad actus speciem, esse in voluntatis manu. Itaque secundum Thomae doctrinam, quamquam phisica praemotio libertatem evertere dicatur, eam tamen quod ad exercitium attinet, probare tuerique licet.

Verum jocantur adversarii talia facinora de Thoma, Doctore Angelico, asseverando; nam 1.° si in voluntatis manu tantum agere hoc vel illud, id est actus edere diversae speciei, non tamen agere vel non agere, Thomas relinqueret; exercitii libertatem, quae certe actum et non actum respicit, citra dubium radicitus convelleret, quod quidem de tanto Doctore dicere, nefas est. 2.° Ex praeclaro ejusdem testimonio, supra relato, satis leviter intelligere quisque potest, contrariam doctrinam eum aperte palamque enunciasse: " Libertas voluntatis in tribus consideratur, scilicet quantum ad actum, in quantum potest velle vel non velle „. 3.° Sed saepissime doctrinam eamdem replicat Doctor noster: " Potest homo (inquit) velle et non

(2) 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.

velle, potest etiam velle hoc aut illud (1) „. At id prae caeteris intento animo ab adversariis ponderandum, quod Thomas asserit, illa Aristotelis verba explanans: " Quibus in rebus nostra in potestate situm est agere, in iis et non agere; et in quibus non agere, in iis et agere. (2) „. Ait enim: " Si *operari* est in nostra potestate, oportet etiam quod *non operari* sit in nostra potestate: si enim non operari non esset in nostra potestate, sic impossibile esset non operari: ergo necesse esset nos operari, et operari non esset ex nobis, sed ex necessitate (3) „. Quibus ex verbis omnibus in promptu est, secundum auream Aquinatis doctrinam, non modo agere hoc vel illud, seu actus edere diversae speciei, verum etiam agere et non agere, esse in voluntatis potestate; si enim (inquit) operari est in nostra potestate, oportet etiam quod non operari sit in nostra potestate. Itaque illi solummodo actus liberi sunt, quos ita voluntas edit, ut eos non edere queat (4). Quod autem attinet ad testimonium, quod ab adversariis opponitur, notandum est, ea verba *hoc vel illud* non usurpari ad libertatem specificationis, quatenus a libertate exercitii distinguitur, significandam; sed potius ad peculiaria bona designanda, abstrahendo ab utroque libertatis genere. Ad ista vero bona homo se determinare dicitur, propterea quod prima finis volitione posita, proprie se movet, id est ab actu praecedente ad consequentem se applicat; at id non impedit quominus ab alia causa externa, scilicet a Deo, tum quantum ad actus exer-

(1) Loc. citat. q. 13. a. 6. — (2) 3. Ethic. c. 5. — (3) Ibid. Lect. 11. — (4) Cf. quae in capite secundo sunt disputata.

citium, tum quantum ad ejus specificationem, moveatur; quum moveri ex se non repugnet ei quod movetur ab alio, quemadmodum alibi ex Thoma dictum est, idem testimonium contra adversarios phisicae praemotionis etiam quantum ad exercitium, explanando.

125. Oppones contra quartum incommodum, quod ex adversariorum sententia consequi dictum est, nempe Deum peccati esse causam: Quamquam phisica praemotio, quae quidem cum hominis libertate nequit componi, quantum ad actus exercitium statuatur, nullo modo tamen eam ob rem Deum peccati esse auctorem licet asserere. Etenim homo etiam phisica Dei motione posita, deliberate erumpit in actum malum; quapropter merito ei actionis malitia imputatur; quam proinde ad Deum tamquam ad causam, referre, non est necesse.

126. Respondeo, summopere hac de re falli adversarios, qui libertatem et deliberationem perperam permiscent. Itaque quoniam proposita difficultas quamquam facile profligari potest, catholicae tamen doctrinae de hominis libertate repugnare videtur, paulo latius est evolvenda. Atque imprimis difficultatis fundamentum evertitur, asserendo, voluntarium rationale, id est solam immunitatem a coactione cum plena advertentia, satis non esse, ut homo sit liber. Re vera operationes solummodo spontaneae, etsi cum perfecta mentis advertentia fiant, in voluntatis potestate esse nequeunt; quapropter eas perperam dici liberas, nemo est qui non videat. Ea doctrina in secundo capite hujus opusculi est statuta; atque in plurimis locis a nostro Doctore apertissime traditur; id enim ex ejus-

dem testimoniis supra productis facile cogi potest, atque maxime quidem ex illo " Si operari est in nostra potestate, oportet etiam quod non operari sit in nostra potestate: si enim non operari non esset in nostra potestate, sic impossibile esset non operari: ergo necesse esset nos operari, et operari non esset ex nobis, sed ex necessitate „. Quibus verbis, ut dictum est, aperte enunciatur, eos solummodo actus esse in nostra potestate, quos ita edimus ut eos non edere possimus; non tamen eos quos ita voluntas emittit, ut non emittere nequeat, etsi cum perfecta mentis advertentia iidem emittantur. Eam ob causam alibi Aquinas ait: " Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod est in ejus potestate velle et non velle, excludit determinationem virtutis ad unum et violentiam causae exterius agentis (1) „. Itemque alibi: " Ejus quod ex necessitate est, non sumus domini „. Quam quidem ob rem cum de libertate Dei, aut Angelorum, aut hominis is loquitur, numquam ex immunitate a coactione, sed ex immunitate ab interna necessitate eam semper et ubique repetit: " Oportet dicere (inquit) in Deo liberum arbitrium inveniri, similiter et in Angelis; *non enim ipsi ex necessitate volunt* (2) „. Itemque ibidem ait: " Dicendum quod voluntas divina se habet ad opposita, non quidem ut aliquid velit et postea nolit, quod ejus immutabilitati repugnat, nec ut possit velle bonum et malum, quia defectibilitatem in Deo poneret, sed quia potest hoc velle et non velle „. Ex quibus est perspicuum, libertatis essentiam in eo sitam esse, secundum Tho-

(1) I. Cont. Gent. c. 68. — (2) Q. 24. de verit. a. 3.

mae doctrinam, quod quis ita agat, ut tamen non agere queat.

127. Eadem veritas ipsa invincibiliter statuitur, ut quisque perspicit, ex condemnatione illarum Baji propositionum, quarum prima est: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali;* altera vero: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* Praeterea ex Concilii Tridentini definitione apertissime deduci potest; Concilium enim contra Lutherum atque Calvinum liberi arbitrii existentiam, ut dogma catholicum, definivit. Porro autem neque Lutherus, neque Calvinus negavit, hominem a coactione esse immunem, sed solummodo ab interna necessitate; iste enim aperte ait: " Voluntas mera lubentia et pronitate ac sponte sua vult et facit, non coacte pro natura voluntatis; quae si cogeretur voluntas non esset; nam coactio potius est, ut si dicam noluntas (1) „; hic vero: " Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero (2) „. Quibus quidem ex rebus facili negotio intelligitur, Tridentinum Concilium cum liberi arbitrii existentiam contra eosdem asseruit, aliterque sentientes anathemate mulctavit, non in voluntario rationali, seu in immunitate a coactione, etsi cum plena advertentia, libertatis naturam positam esse, constituisse, sed potius in immunitate ab interna necessitate ad unum naturali modo determinante.

128. Sed necesse non est, in ea veritate statuenda diutius immorari; quum in capite secundo hujus opusculi evicta sit atque explanata. Itaque difficultati pro-

(1) De serv. arbit. — (2) Lib. 2. De lib. arbit.

positae satisfaciens, dico, ex eo non sequi hominem peccare, quod deliberate, seu cum plena advertentia, emittit actum malum, si actum eumdem vitare nequit. Etenim illud est communiter receptum: *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest*; qua quidem de re est illud praeclarum nostri Doctoris: " Non videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitari non possit (1) „. Quibus ex rebus profecto fit, secundum adversariorum doctrinam, qui quamquam phisicam praemotionem liberum arbitrium convellere statuunt, eamdem tamen quod ad actus exercitium pertinet, tuentur, actionis malitiam, seu deformitatem, quae actui secundum rationem specificam non convenit, sed secundum individuam, homini etsi deliberate is agat, imputandam non esse, sed potius Deo, qui ad actum exercendum eum phisice impellit. Deus itaque secundum doctrinam istam peccati esset auctor; quod quidem maximum esse incommodum, ne adversarii quidem negare poterunt.

(1) Q. 6. de malo a. unic.

CAPUT XXI.

Ratio componendi divinam motionem et humanam libertatem.

129. Adversarii Dei motionem hominisque libertatem ad concordiam nequeunt adducere, quod falso principio innituntur. — 130. Imprimis discrimen notatur, quod est primum inter et secundum liberum. — 131. Ex eo deducitur primus modus divinam motionem humanamque libertatem conciliandi, quod unamquamque rem Deus movet secundum naturam illius. — 132. Proponitur secundus modus, qui ex eo derivatur, quod Deus est causa totius entis. — 133. Adversariorum difficultas in medium profertur, et multifarie dissolvitur. — 134. Hujus capitis conclusio.

129. Iis ex rebus, quae in capitibus praecedentibus de Dei motione quod ad exercitium spectat et quod attinet ad specificationem, sunt disputatae, omnibus profecto in promptu est, eos philosophos maxime decipi, qui ut Dei actionem hominisque libertatem componant, phisicae praemotionis doctrinam ad solum actus exercitium, non tamen ad ejus speciem referandam esse, arbitrantur. Etenim eorum sententia, ut jam evictum est, non modo hominis libertatem non tuetur, verum etiam eam penitus convellit. Cujus quidem erroris causa in eo citra dubium sita est, quod ab iisdem illud ut certum ponitur: *Efficacem Dei motionem libertatem labefactare.* Eam doctrinam Calvinus

quoque tradidit, et Pelagius; quamquam diversa ratione in absonis eorum commentis ex ea derivandis, vano quidem labore contenderent. Primus enim Dei motionem cum statuisset, eique quod concupiscentiae convenire jam affirmaverat, id tribuisset, id est eam ob suam efficaciam necessitatem inferre; ea ex re colligere conatus est, hominis voluntatem semper aut concupiscentiae servam esse, aut captivam motionis Dei; atque proinde numquam esse liberam. Alter vero contraria utens ratiocinatione, nullo efficaci auxilio voluntatem egere, ut bonum agere queat, asseveravit. Cum enim planum sit, hominem libertate esse donatum; atque libertas cum ea efficaci motione divina, quam D. Augustinus tuebatur, componi secundum ejus doctrinam non posset, voluntatem ex se, absque efficaci auxilio, ad bonum moveri affirmavit. At vero principium istud, in quod Pelagii Calvinique haeresis connititur, ut absonum commentum a Thomistis rejicitur; ex quo fit, eos utriusque haeresim radicitus convellere. Et certe ex rebus jam disputatis est perspicuum, eos recte sapienterque docere, efficacem Dei motionem hominis libertatem non labefactare; atque dilucide difficultates eosdem evolvere, quae hac de re ab adversariis proponuntur. Sed his de rebus satis superque in superioribus capitibus dictum est; quapropter iis omissis, de duplici modo quo secundum auream Aquinatis doctrinam, efficax infallibilisque Dei motio cum hominis libertate conciliatur, disserere placet.

130. Imprimis tamen discrimen notandum, quod est primum inter et secundum liberum. Etenim ad rationem primi liberi pertinet, ut ipsum prima sit causae suae determinationis et electionis; ex quo quidem fit,

dominium a quavis alia causa independens, id est dominium supremum et absolutum, in easdem, ipsum habere; aliter enim primum liberum non esset, sed potius secundum, alteri subordinatum, ut est perspicuum. Eam ob rem discrimen assignans Thomas, quod est inter humanam voluntatem atque divinam, apertissime enunciat (ut alibi dictum est) primam quod est contingens, ab alia causa ad effectum esse determinandam, non tamen secundam: " Causa quae est ex se contingens *oportet ut determinetur ab aliquo exteriori* ad effectum; sed voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, *determinat seipsam* ad volitum (1) „. Ad rationem autem secundi liberi pertinet, ut causa sit non prima, sed secunda, suarum determinationum atque electionum; et proinde ut ab altera priori dependeat, eique essentialiter subordinetur. Itaque secundum liberum dominium non habet absolutum, atque supremum, in suas determinationes; sed secundarium, ab alio dependens, eique sobordinatum. Quam porro veritatem nostrum Doctorem tradidisse, ex pluribus ejusdem testimoniis potest intelligi: " Dicendum (inquit) quod de ratione voluntarii est, quod principium ejus sit intra; *sed non oportet quod hoc principium intrinsecum sit primum principium non motum ab alio.* Unde motus voluntarius, etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra, sicut et primum principium motus naturalis est ab extra, quod scilicet movet naturam (2) „. Itemque alibi ait: " Moveri voluntarie est moveri ex se idest a principio intrinseco; *sed illud principium intrinsecum*

(1) 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. — (2) 1. 2. q. 9. a. 4. ad. 1.

potest esse ab alio principio extrinseco, et sic moveri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio (2) „. Eamdem omnino doctrinam saepissime Thomas replicat, ut ex dictis in praesente opusculo perspicere quisque potest; atque eam non intelligentes, aut rejicientes, certe non nisi cavillationibus Dei motionem hominisque libertatem ad concordiam adducere queunt. Itaque inepte eos philosophos Thomistarum nomine gloriari, qui libero hominis arbitrio dominium supremum, atque a Deo independens, in suas actiones attribuunt, nemo est qui non videat. Quod quidem, quamvis jam apertum, illo tamen praeclaro testimonio nostri Doctoris placet confirmare: " Homo est dominus suorum actuum et volendi et non volendi propter deliberationem rationis, quae potest flecti ad unam partem vel ad aliam. Sed quod homo deliberet vel non deliberet, et si hujusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem praecedentem; et cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet a Deo, ut etiam Philosophus probat in cap. *De bona fortuna*; unde mens hominis etiam sani *non ita habet dominium sui actus quin indigeat moveri a Deo*; et multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur a bono per corruptionem naturae (1) „.

131. His rebus praenotatis primus modus Dei motionem hominisque libertatem componendi proponatur, qui ex eo facile ducitur, quod Deus unam-

(1) 1. p. q. 105. a. 4. ad 2. — (2) 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1.

quamque rem movet secundum ejus naturam, seu conditionem. Qui modus profecto a nostro Doctore apertissime traditur in illo praeclaro testimonio: " Ad Providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum earum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus contingens et non necessarius (1) „. Quod tam apertum testimonium illud procul dubio dicit, humanam voluntatem, quod a natura ad unum determinata non est, sed ea se ratione determinat, idcirco a Deo, qui rem unamquamque secundum ejus naturam permovet, ita ad agendum impelli, seu applicari, ut operatio ex ea defluens, libera permaneat: " Sed remanet motus contingens et non necessarius „. Itaque secundum Thomae doctrinam, phisica Dei motio nihil est aliud, nisi divinus quidam influxus, quo, eo modo quo voluntas exigit, cum exigit, et quamdiu exigit, ad agendum ea applicatur, seu phisice praemovetur. Et quemadmodum idem influxus in causis naturalibus earumdem naturam non corrumpit, ita profecto in voluntate ejus libertatem non labefactat; immo idem ipse est, qui in causis necessariis necessitatem, in causis vero liberis libertatem efficit. Ejus rei exemplum in eo influxu perspici potest, quo Deus

(1) 1. 2. q. 10. a. 4.

res omnes servat in esse; lapides enim et plantae et bruta animantia et homines a Deo servantur influxo eodem, quin tamen diversa natura earum rerum ullo modo corrumpatur. Quibus ex rebus facile cogi potest, quam alieni a veritate sint phisicae praemotionis adversarii, qui nihil aliud eam esse arbitrantur, nisi ferream catenam, qua voluntas constricta, fatali quadam necessitate devinciatur. Sed haec de primo modo satis sunt.

132. Secundus autem ex eo derivatur, quod Deus, ut alibi dictum est, totius entis est causa. Etenim voluntas divina summe efficax cum sit, non modo ens quantum ad ejus substantiam, verum etiam omnes ejusdem modos et differentias attingit; qua ex re pronum est deducere, eamdem cum humanae voluntatis operationem efficit, non solum actus substantiam, sed modum etiam ejusdem, id est libertatem, efficere. Quem porro modum Dei motionem hominisque libertatem componendi, quamquam apertissime a Thoma tradi, ex alibi dictis sit perspicuum (1); attamen ipsis adversariorum principiis hic evincere placet. Libertas enim, praecipue secundum adversarios, magnum est donum, quo Deus hominem auxit; nam ea homines differunt a brutis animantibus, aequantur Angelis, assimilantur Deo, atque in ceteras creaturas dominantur: immo cum D. Bernardo dicendum, eamdem esse quid plane divinum, praefulgens in anima, tamquam gemma in auro. Porro autem omne bonum a Deo, ut a causa, defluere, negare memo potest;

(1) Cf. Caput octavum hujus opusculi, et D. Thomam 1. p. q. 19. a. 8.

propterea quod “ Omne datum optimum (ut inquit D. Jacobus Apostolus) et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum „. Quapropter a Deo, tamquam a prima causa, primoque auctore boni honesti, immediate hominis libertatem proficisci, est perspicuum.

133. Sed dixerint fortasse adversarii, eam doctrinam liberum arbitrium, seu potentiam quae libere operatur, non tamen libertatem actualem, idest liberam voluntatis determinationem, respicere.

Verum praeterquam quod difficultas ista est toto capite octavo profligata, praeterea ratiocinationibus sequentibus ea facile dissolvitur. Et re vera, 1° actualis libertas perfectio est, ut ajunt, simpliciter simplex, quippe quia eam habere melius est quam ea carere; at vero quaevis perfectio simpliciter simplex a Deo, ut a prima causa proficisci debet, ut ex citatis verbis Apostoli Jacobi est perspicuum: itaque non modo libertas virtualis, verum etiam actualis a Deo, ut a primo principio primaque causa, debet manare. 2.° Actualis libertas, seu libera voluntatis determinatio, citra dubium entis saltem est modus; sed divina voluntas causa est totius entis, id est causa est omne ens omnesque ejusdem modos et differentias effundens, ut secundum Thomae doctrinam saepe dictum est: quapropter actualem libertatem a Deo oriri, ut a causa, est necesse. 3.° Quod tale est participatione, ex eo oriri debet, quod est tale per essentiam, ex igne namque manat calefactio; porro autem libera voluntatis determinatio libertas est a Deo participata; quam ob rem ejusdem efficientiam ea effugere nequit. 4.° Ad quae se extendit Dei providentia, ad

ea se porrigit ejus efficientia, seu causalitas; divina enim providentia rerum quas providet, est causa: atqui non modo ad libertatem virtualem, seu ad liberum arbitrium, verum etiam ad libertatem actualem, seu ad liberam voluntatis determinationem, Dei providentia se extendit: ad eam igitur ejus quoque efficientia se porrigit. Eam ob causam noster Doctor in libro tertio contra gentiles, cap. 89, ait: " Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque praejudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates male exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle, et perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi; non autem sic quod faciat nos velle hoc velle illud... Et ex hoc processisse videtur opinio quorumdam, qui dicebant, quod providentia non est de his quae subsunt libero arbitrio, scilicet de electionibus.... Quibus quidem (subdit) auctoritatibus sacrae scripturae resistitur evidenter: dicitur enim *Isai. 26. 12. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine:* unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam, operationem. Praeterea. Hoc ipsum quod Salomon *Prov. 21. 1.* dicit, *Quocumque voluerit, inclinabit illud,* ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius „. Quod quidem praeclarum Thomae testimonium non modo phisicam praemotionem apertissime asserit; ideo quia Deum dicit causam non moralem, sed phisicam tum voluntatis, tum operationis ejusdem, idque sacrae Scripturae verbis evincit; verum etiam eorum sententiam, qui ad liberos voluntatis actus Dei providentiam non se extendere

asseverabant, rejicit, rationibus iisdem. Quam ob rem capitis sequentis Thomas initium facit cum illis verbis: " Ex quo patet, quod oportet etiam voluntates humanas, et electiones, divinae providentiae subditas esse. Omnia enim quae Deus agit, ex ordine providentiae suae agit. Cum igitur ipse sit causa electionis, et voluntatis nostrae, et electiones, et voluntates nostrae divinae providentiae subduntur „. Ex quibus quidem omnibus in promptu est, secundum Aquinatis doctrinam, idcirco ad liberam voluntatis determinationem Dei Providentiam se extendere, quod ad eam se porrigit ejusdem efficientia; quum istam hac is evincat, ut est perspicuum. 5.° Tandem quaeritur ab adversariis, num actualis libertas, seu libera voluntatis determinatio, aliquid sit, aut nihil? Si ea nihil est, profecto non est necesse, Dei efficientiam quantum ad eamdem, eos negare, ut hominis libertatem tueantur; non enim tolli, aut corrumpi potest, quod nihil esse dicitur. Si autem aliquid est, citra dubium a Deo immediate est efficienda; propterea quod is est creator omnium visibilium et invisibilium, ut in primo symboli articulo profitemur. At his de rebus satis.

134. Omnia autem quae in hoc capite sunt disputata, ea recte concluduntur, asseverando, Deum hominis voluntatem ad agendum phisice permovere, quin ejus libertatem convellat, tum quia in unaque re secundum ejus naturam is operatur, tum quia causa est libertatis non modo virtualis, seu liberi arbitrii, sed etiam actualis, seu liberae voluntatis determinationis. Quam ob causam tantum abest ut divina impulsio

libertatem laedat, ut e contra sit dicendum, ideo voluntatis actus esse liberos, quod in eis Deus libertatem efficit. Eam veritatem dilucide exponit acutissimus Bossuetus, qui quaestionem illam, utrum Deus sit causa libertatis actualis, subtiliore disputatione persequens, ad eamdem conclusionem atque nostram devenit. Placet autem viri ingenio acutissimi producere testimonium, quamvis gallice exaratum; quum permagni intersit hac de re nullimode fluctuare. Ea enim veritate perspecta, uterque modus, in presente capite propositus, divinam motionem humanamque libertatem componendi, facili negotio percipitur; si enim Deus auctualem libertatem efficit, planum est, voluntatem secundum ejus naturam eum posse permovere. Itaque solers et acutus auctor ait: “ La liberté convient à l'âme, non seulement dans le pouvoir qu'elle a de choisir, mais encore lorsqu'elle choisit actuellement; et Dieu qui est la cause immédiate de notre liberté, la doit produire dans son dernier acte: si bien que, le dernier acte de la liberté consistant dans son exercice, il faut que cet exercice soit encore de Dieu, et que comme tel il soit compris dans la volonté divine. Car il n'y a rien dans la créature qui tienne tant soit peu de l'être, qui ne doive à ce même titre tenir de Dieu tout ce qu'il a. Comme donc plus une chose est actuelle, plus elle tient de l'être, il s'ensuit que plus elle est actuelle, plus elle doit tenir de Dieu. Ains inotre âme conçue comme exerçant sa liberté, étant plus en acte, que conçue comme pouvant l'exercer, elle est par conséquent davantage sous l'action divine, dans son exercice actuel, qu'elle ne l'était auparavant: ce qui ne peut s'entendre, si

on ne dit que cet exercice vient immédiatement de Dieu. En effet comme Dieu fait en toutes choses ce qui est être et perfection; si être libre est quelque chose, et quelque perfection dans chaque acte, Dieu y fait cela même qu'on appelle libre; e l'efficace infinie de son action, c'est-à-dire, de sa volonté, s'étend, s'il est permis de parler ainsi, jusque a cette formalité..... Ainsi, loin qu'on puisse dire que l'action de Dieu sur la nôtre lui ôte sa liberté, au contraire il faut conclure que notre action est libre *a priori*, a cause que Dieu la fait être libre (1) „. Quo quidem insigni testimonio nostram sententiam dilucide exponi, atque invincibiliter comprobari, est perspicuum. Deindè praeclarus auctor subdit: " Tel est le sentiment de ceux qu'on appelle Thomistes: voilá ce que veulent dire le plus habiles d'entre eux, par ces termes de *prémotion et prédetermination phisique*, qui semblent si rudes à quelques-uns; mais qui, étant entendus, ont un si bon sens. Car enfin ces théologiens conservent dans les actions humaines l'idée toute entière de la liberté, que nous avons donnée au commencement; mais il veulent que l'exercice de la liberté, ainsi défini, ait Dieu pour cause première „. Quibus verbis, planum est, eumdem in Thomistas in eorumque hac de re sententiam laudes conferre; qui certe magni Doctoris, Thomae Aquinatis, doctrinam tuentur, ut facili negotio intelligi potest ex praeclaris ejusdem testimoniis jam productis, et maxime ex eo: " Voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem

(1) Traité du libre arbit. c. 8.

quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae (1) „.

(1) 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1.

OPUSCULI CONCLUSIO

Praeclaris Sancti Thomae, Doctoris Angelici, testimoniis, quae a nobis relata sunt, apertissime evincitur, eumdem phisicam praemotionem, quae asseritur a Thomistis, et quo modo, tradidisse; ex quo fit neminem, qui manifestam veritatem oppugnare nolit, contrariam queat affirmare sententiam, perinde ac si esset vera. Et certe juxta Thomistas, praecipue quatenus de voluntate loquuntur, PRAEMOTIO EST PHISICA MOTIO ET REALIS, QUA DEUS EAMDEM PELLIT AD ACTUM SECUNDUM, NON QUIDEM MORALITER, SEU QUO MODO PERMOVET FINIS, SED PHISICE, SEU QUO MODO CAUSA EFFICIENS MOVET; QUAE MOTIO ACTUI PRAEVIA SIT, AD QUEM POTENTIAM APPLICAT, SEU ADJUNGIT, QUAEQUE NON ESSE DICITUR VIRTUTIS COLLATIO, VEL CONSERVATIO, SED EJUSDEM APPLICATIO AD ACTIONEM, ET QUAM CERTISSIME SEQUITUR EFFECTUS, INTEGRA LIBERTATE MANENTE. Atqui patet ex iis quae hactenus dicta sunt, non modo D. Thomam doctrinam eamdem tradidisse, verum etiam et eam rationibus stabilisse, et in ea defendenda operam locasse. Etenim 1° edocuit, DEUM NON SOLUM VOLUNTATEM MOVERE MORALITER, SEU EO MODO QUO PERMOVET FINIS VEL OBJECTUM; dicit enim: " Ex parte quidem objecti movet voluntatem et ipsum bonum, quod est voluntatis objectum, sicut appetibile movet appetitum, et ille qui demonstrat objectum, puta qui demonstrat aliquid esse bonum. Sed sicut

supra dictum est, alia quidem bona aliqualiter inclinant voluntatem; sed nihil sufficienter movet voluntatem, nisi bonum universale, quod est Deus; et hoc bonum solus ipse ostendit, ut per essentiam videtur a beatis, qui dicenti Moysi: *Ostende mihi gloriam tuam*, respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum* (1) „.

2°. Sed etiam phisice, idest eo modo quo permovet causa efficiens, seu agens phisicum; subjicit namque ibidem: " Ex parte vero ipsius potentiae, voluntas nullo modo potest moveri nisi a Deo. Operatio enim voluntatis est inclinatio quaedam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturae contulit, sicut et naturalem inclinationem solum illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem, quam consequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus est qui potentiam volendi tribuit, quia ipse solus est auctor intellectualis naturae. „ Ex quo pronum est conficere, solum Deum voluntatem immutare atque phisice permovere. Quam quidem ob causam in superiori quaestione, ad quam hic revocat Aquinas, primum dictum fuerat: " Ipse solus (*Deus*) implet voluntatem, et sufficienter eam movet ut objectum..... „, postea vero: " Velle nihil aliud est quam inclinatio quaedam in objectum voluntatis, quod est bonum universale. Inclinare autem in bonum universale est primi moventis.... Unde utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, *sed maxime secundo* modo interius eam inclinando (2) „.

3°. Quae motio utique praevia sit, non vero simultanea; etenim simultaneus influxus, perinde ut est reapse,

(1) 1. p. q. 106. a. 2. — (2) Ibid. q. 105. a. 4.

dici nequit motio, eoque ad operationem potius concurrere Deus dicitur quam impellere voluntatem, quemadmodum abunde jam declaratum fuit. Et re vera (ut inquit Aristoteles) movens natura prius est moto, seu (ut vel Doctor noster ait) moventis motio mobilis motum praecedit prioritate rationis atque causalitatis: " Motio moventis praecedit motum mobilis ratione et causa (1) „.

4.° Quaeque non esse dicitur virtutis collatio vel conservatio, sed ejusdem applicatio ad actionem; ea enim res eadem non modo ab Aquinate declaratur aperte, verum etiam stabilitur egregie. " Sed quia nulla res per seipsam movet, vel agit, nisi sit movens non motum; tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius in quantum movet eam ad agendum. In quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota.... sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum (2). „

5.° Et quam certissime sequitur effectus; quippe quia rem eamdem Thomas saepissime replicat: " Dicendum quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur (3). „ Atque etiam: " Si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur (4). „

(1) 3. Cont. Gent. c. 149.—(2) Q. 3. de pot. a. 7.—(3) 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. — (4) Loc. cit. q. 112, a. 3.

Atque similiter ait: " Praedestinatio habet certitudinem ex parte scientiae Dei, quae non potest falli, et ex parte voluntatis divinae, cui non potest aliquid resistere (1). „

6.° Integra tamen libertate manente; atque id multis a Thoma et asseritur et explanatur et comprobatur, quemadmodum ex jam dictis perspicuum est. " Dicendum quod, sicut Dionysius dicit, ad Providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes (2). „ Atque etiam praeclarum illud: " Ad primum ergo dicendum quod voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae (3). „

Itaque luce clarius est, Thomam Aquinatem doctrinam phisicae motionis, seu promotionis, edocuisse; quamquam rem sic se habere, non modo paucis ex testimonis quae hic referuntur existimandum est, at etiam, et maxime, ex iis omnibus quae supra a nobis producta sunt. Quae quidem attentius si leges animoque scrutaberis, agnosces profecto, perperam a quopiam phisice praemotionis adversario nuperrime scriptum esse: " Nullum in Thomae Aquinatis scriptis reperitur testimonium, ex quo effici possit aperte, actum

(1) Quodlibet. 12, a. 3. — (2) 1. 2. q. 10, a. 4. — (3) Ibid. ad 1.

primum, *idest potentiam*, ad actum secundum, *idest ad operationem*, a Deo applicari „; atque etiam “ Nullum super hac quaestione testimonium est, quod D. Thomam ostendat repugnare sententiae nostrae. „ Postea vero quam ista asseverare is non est veritus, certe merito atque optimo jure se nullo modo concedere, ut quispiam Aquinatis auctoritate abutatur ad phisicam praemotionem stabiliendam, inclamat. Sed, quamquam nulli acerbius aculeata verba intendere volo, paci concordiaeque cum studeam; ut dignoscatur tamen quam legitime utatur scriptor iste Aquinatis auctoritate, satis superque esse debet, quod enucleans Aquinas quid nomine motionis Dei sibi vellet in quaestione tertia de potentia, quae supra adducta est, dicit aperte: “ Non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem „; ille vero asseverare audet, “ Motionem istam, sic ab Angelico nuncupatam, totam in eo esse quod cum inclinatione ad bonum condidit Deus voluntatem „: quae quidem verba profecto adsignificant, divinam motionem in collatione virtutis activae positam esse, quae res tam clare a Thoma repellitur.

At de difficultatibus generis ejusmodi satis; etenim perperam et sine causa affirmare, atque Thomae testimoniis contradicere, neque est ejusdem mentem ediscere, neque eum rejecisse phisicam praemotionem argumentis stabilire. Ex iis vero quae hactenus dicta sunt, omnibus in promptu est, non modo phisicam praemotionem istam eumdem edocuisse, at etiam eam jure tradidisse, atque rationibus confirmasse. Neque id fas est involvere silentio, quod ab aliis Tho-

mae discipulis hac de re attentius consideratum fuit: rationes omnes quibus phisica motio, seu praemotio, a Thomistis evincitur, a Thoma desumi; difficultates quas contra praemotionis doctrinam congerunt adversarii, easdem Thomam proponere passim; eoque modo discipulos easdem profligare quo Thomas magister explanavit. Ex quo satis leviter confici potest, doctrinam quam super hac quaestione Thomistae sectantur, eamdem omnino Thomam tradidisse. Quamquam (ut verum hac de re fatear) de nomine potiusquam de rei natura quaestio haec mihi videtur; nam cum Deum voluntatem movere Thomas dixit, praemovere si dixisset, nemo fortasse ejusdem mentem hac de re in contentionem adduceret. Igitur optandum est quam maxime, ne in re nihili cavillando haerere, aut captionibus argutiisque litem implicare videamur, ut praemotionis nomine omisso, nomine phisicae motionis omnes utamur, eamdemque admittendam esse, invincibiliter evincamus innumeris testimoniis atque rationibus Thomae Aquinatis. Neque timendum est, ne hac ratione cum simultaneo influxu phisica motio permisceatur, quippe quia quum influxus iste voluntatem non tangat, concursus potiusquam motio dicendus est, quemadmodum jam adversarii concedunt, nosque saepius replicavimus.

Hanc vero phisicam motionem eamdem non modo quantum ad actus exercitium verum etiam quantum ad ejusdem specificationem esse admittendam, iis rationibus invincibiliter comprobatur, quae supra relatae sunt. Nam dictum est, rationes omnes quae planum faciunt, Deum quod ad actus exercitium spectat, voluntatem phisice impellere, easdem etiam evincere, eum

quod ad actus specificationem attinet, eamdem permovere; quippe voluntas ipsa efficiens causa est tum exercitii tum specificationis. Quin etiam, quoniam in voluntatis actibus specifica ratio quid nobilius est et perfectius individuali ratione, quippe quia illa ad eorumdem essentiam spectat, haec vero eorum quiddatem minime respicere perspicuum est, potiori jure Deus dicitur ad specificationem quam ad exercitium voluntatem movere. Ut autem nulla apud adversarios hac de re dubitatio relinquatur, peto ab iisdem, utrum in voluntatis actibus specificatio, seu specifica ratio, aliquid sit, quod re vera existit, an vero nihil. Etenim aliquid si est, a Deo immediate eamdem effici absque dubio est dicendum, quum (ut alibi dictum fuit) Deus est creator visibilium omnium et invisibilium, quemadmodum in primo symboli articulo profitemur. Itaque si Deus immediate eamdem efficit, in eamdem influit praevie, idest non modo ad eam concurrit, at etiam voluntatem phisice impellit, motione utique praevia, quippe quia causa omnis prior est natura et causalitate suo effectu. Si autem specifica ratio illa nihil esse dicitur, non est quamobrem adversarii omnibus viribus adnitantur, ut eamdem a Dei causalitate subtrahant, constituantque in solius hominis potestate; nihil enim in libertatem conferre potest, quod nihil esse dicitur; quam ob rem Dei actio, seu motio, quatenus de eadem sermo est, libertati exitium parere nequit. Igitur phisica motio, seu praemotio, quantum ad specificationem, immunis erit a crimine laesae libertatis, quod illi perperam ab adversariis tribuitur: horumque argumenta omnia in nihilum solventur.

Qua tandem ratione in concordiam adducantur phisica motio pariter quantum ad actus exercitium ac quantum ad ejusdem specificationem, hominisque libertas, in postremo opusculi capite satis superque declaratum est. Argumenta enim magnopere prementia atque rem prorsus convincientia edita sunt, quibus planum factum est omnino, Deum non modo causam esse libertatis potentialis, idest liberi arbitrii, at etiam actualis, idest liberae determinationis voluntatis: qua ex re pronum est intelligere, quo modo res omnes Deus movere potest pro cujusque conditione, ita ut in causis liberis, ea qua easdem ad agendum applicat motione, libertatem non evertat, sed potius efficiat. Antequam tamen dicendi finem faciam, admonitum Lectorem volo, aliud esse phisicae motioni refragari, ac eidem Thomae auctoritate se opponere: istud enim a quopiam fieri potest, quippe praemotio fidei dogma non est, sed quaestio philosophorum disputationi relicta; hoc autem viris doctis atque sapientibus non licere, ex iis quae hactenus dicta sunt, perspicuum videtur; quum id nihil aliud est nisi apertis Thomae testimoniis obsistere, conjunctionemque discipulorum ejusdem, non sine scientiarum detrimento, labefactare. Neque ut rem hanc moliantur, adversarios phisicae motionis ulla aequa causa inducere posse videtur; etenim hostes catholicae fidei, quorum impetus iidem sua sententia retundere expedite arbitrantur, facilius complurium eadem de re sententiarum philosophorum catholicorum quam unius expositione, ad veritatem pertrahuntur; quemadmodum jam id praestit egregie doctissimus Bellarminus. Quibus quidem ex rebus atque rationibus citra negotium effici tandem posse videtur,

eos catholicos philosophos operari contra atque oporteret, qui auctoritate Thomae Aquinatis phisicam praemotionem oppugnare adnituntur, eosque optimo uti consilio, qui vel ejus testimoniis eamdem tuentur, vel ne nomen quidem Angelici Doctoris sibi hac de re proferre tribuunt.

FINIS.

INDEX

CAPUT III.

De objecto liberi arbitrii.

CAPUT IV.

De diverso motionis genere intellectus et voluntatis.

CAPUT V.

De necessario nexu electionem inter et ultimum rationis judicium.

CAPUT VI.

De libertate ultimi judicii.

CAPUT VII.

Nonnullae difficultates solvuntur.

CAPUT VIII.

De causa externa libertatis creatae.

CAPUT IX.

Notiones de divina motione seu praemotione.

CAPUT X.

Mens D. Thomae aperitur.

CAPUT XI.

Aperitur mens Thomae aliis testimoniis.

CAPUT XII.

Alia Thomae testimonia in medium proferuntur.

PAG.

CAPUT XIII.

Mens D. Thomae magis declaratur.

CAPUT XIV.

Declaratur mens Thomae rationibus ex eodem depromptis.

CAPUT XV.

Nonnullae difficultates e Thoma derivatae solvuntur.

CAPUT XVI.

Aliae difficultates ex eodem s. Doctore profligantur.

CAPUT XVII.

Solvuntur aliae difficultates.

FINIS INDICIS.

ERRATA				CORRIGE
Pag.	97.	Lin. 24.	Efferre	Referre
„	110.	„ 27.	Tradisse	Tradidisse
„	113.	„ 15.	Effertur	Affertur
„	152.	„ 9.	Exalanatur	Explanatur
„	161.	„ 31.	*Versare*	*Servare*